

4973

Theol. cath.

A.

661

Pater
e) Patr. Lat. 1240.

379 b

8

A. † Ω.

PSALMI ET HYMNI ALIAQ. CARMINA
SACRA ALIQVOTVATUM CHRISTIANORUM
ET GALLIÆ SUÆ EPISCOPORUM FAMIGERA-
TISSIMORUM:

DREPANII putà FLORI
THEODULPHI AURELII,

EJUSQ. IN CATHEDRA SUCCESSORIS IONÆ:

Quibus & sacra quædam Lipsana

Aliorum illis æquævorum Præsulum,

MODUINI scilicet HEDUI,

(Quo cum illi priores duo Elegias Epistolares
commutârunt) Nec non

AGOBARDI LUGDUNENSIS,

ET EJUS ANTECESSORIS LAIDRADI
acceserunt.

Partim è variis Codd. MSS. à G. FABRICIO, vel è
membranis S. Galli ab H. CANISIO primum edita, partim
manu P. PETAVII & PETRI DANIELIS JC. seriò castiga-
ta, & à G. ELMENHORSTIO publicata, ut & à PAPTRIO
MASSONO, FED. MORELLIO, ac SIM. GOULARTIO
prodita, post cæteros v. à C. BARTHIO & aliis passim lau-
data: Nunc demum reperta verâ ipsorum ætate, denuò
revisa & junctim in lucem data atq; notis & a.
nimadvertionibus ornata



à
D. AN. RIVINO, SAXONE, C. P. Cæsareo,

Prof. Publ. Acad. Lips. Xviro & h. t. Collegii Princi-
pis Præposito, Philosophici verò Decano.

LIPSIÆ.

Æra M. DC. LIII.

TTPIS QVIRINI BAUCHII.

VIRIS,

MAGNIFICO, NOBIL. PLUR. REVERENDIS,
AMPLISS. ET EXCELLENTISSIMIS,

DN. D. JOANNI HÜLSEMANNO,
Frisio, Theologo per orbem famigeratissi-
mo, Ecclesiae Collegiatae Cizensis PRÆPOSITO, Li-
psienfis verò ad D. Nicolai PASTORIVIGILANTISS. IBIDEMQ; A-
cademiæ secundùm jam RECTORI, suæq; simul supre-
mæ Facultatis iterùm DECANO, FAXIT DEUS, UT
UTROBIQ; SECUNDISSIMO:

Unaq; cum eodem & COETERIS hinc actu-regentibus
DOCTORIBUS PROFESSORIBUSQ; THE-
OLOGIS:

DN. PATRONO & NATIONALI; FAVENTIBUSQ;
UNIVERSIS DNN. COLLEGIS, & COMPATRIBUS,

Umi quoq; Affini, Amicis verò singulis suis,
Debitæ Observantia & honoris contestatione, semper
ex merito debenerandis:

Ad integram suæ Mæ & plur. Rev. Amplitud.
non ex sextante modò consequendam benevo-
lentiam,

Hunc Assen Vatum & Scriptorum Ecclesiasti-
corum coæborum dimidiatum,

Vero ipsorum, nec severo, Ecclesiastico ta-
men Dat iudicio, Consecratq; iusto secum patrociniò,
Artium vero Communitatem eorundem Dicat Pa-
trimonio,

Devotus omniaum cultor
D. RIVINUS.





D. A. R.

PRÆFATIUNCULA.



Qvam seculi nostri perver-
 sitate[m] Jos. JUSTUS SCALIGER
 Epist. 275. jam tum taxaverat, in quo
 plures quotidiè oriantur, qui docere,
 quàm qui discere malint, tantaq; sit eo-
 rum, qui literas tractent, procacia, qui
 nullum aliud, quàm maledicendi argu-
 mentum norint: eæ ambæ nunc ad statum devenerunt, ubi
 contra CHRISTI pronunciatum, τῷ μαθητῇ σου ἄρκει, ἵνα γέ-
 νηται ὡς ὁ διδάσκαλος, ἀλλ' ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, indeq; in acroa-
 teriis discipuli pleriq; anabathra citius, quàm subsellia pre-
 mēre, magisq;ve reponere, quàm audire gestiunt. Quotus
 enim quisq;ve est, si structuram modò verborum cæterasq;
 orationis partes imbiberit, ut vix Γραμματιστὴν τεχνικὸν agere
 in schola queat, si pueris Latinam aliquam declamationem
 Germanicè interpretatus fuerit, qui non verum se statim &
 egregium Γραμματικὸν ἰσορροπικόν, non modò somniet, sed pu-
 blicè omnibus pro tali venditet. Quod si jam idem Veron-
 ensium Principum Colophon, vel alius literatus literatori
 tali, quantum ab Historico hujusmodi distet, objiceret, quod
 non in fluminum saltem & montium ac regionum nomini-
 bus occupatum eum, abstrusas historias & ἀνεξετάστα καὶ
 ποιητικῶς θεολογούμενα explicare, genealogias Deorum ac pri-
 scorum Heroum diligenter rimarum, quin usq; adeo exera-
 citatum eum esse oporteat, ut juxta JUVENALEM VII, 231;

Legerit historias, auctores noverit omnes,

Tanquam unguēs digitosq; suas:

Verùm etiam ut tanquam Censor quidam veterum librorum
 Senatam legere, & non probos tribu[m] movere, duplices &
 ambiguas lectiones recensere, transposita in Auctoribus su-

•

X 2

is se

s sedibus vindicare & sententias conciliare valeat, nã statim
juvenis talis *monitorib9 asper* ipse omnia ea asperrima judicã
uam sibi inscitiam palãm exprobrari præsümet, naresq; cor-
rugans maledicendi sibi campum apertum gaudebit. Sed
missis & animo excelso contemptis perversè ambiciosulis istis,
qui fortasse citiùs ex ERASMI effato vel in triplici jure ca-
thedram invadent, quàm ut illam veri Grammatici tueri
commodè sint, valituri, nos interim modestiæ nostræ, & licet
curtæ, alicujus tamen ad istos comparatæ supellectilis me-
mores nobiscum habitabimus, pro modulo ingenii & judi-
cii munia nostri officii impigrè expleturi, neque potius ipsa,
quàm nomine illud CHRISTI comprobaturi: *ἔσσι μὲν ἡ-
τῆς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον.* Nec pudebit nos sanè illius nominis,
tametsi jam rudissimis contemptibilis, sed olim gloriosi &
ab ipso primo C. I. Cæsare Imperatoribus ipsis affectati, ut et-
iam, quod THEGAN Chorepiscopus Trevirensis in vita Lu-
dovici Pii p. 299. meminit, *Carolus M. post divisum cum filio
imperium nihil aliud egerit, nisi quod Orationibus & eleemosynis
vacaret, & libros corrigeret, adeo ut vel ultimo ante obitum sui di-
em IV. Evangelia cum Grecis & Syris conferendo optimè corre-
xisset.* Latrantes verò molossos non magis, quàm Luna, aut e-
quus generosus curabimus. Qui si nihil aliud possunt, at ut
se quoque Criticos Grammaticos valdè tamen intempesti-
vos probent, illud ogganniunt, ipsi maximè fatui judices,
nos fatuos pro Vatibus edere. Illis verò pro nobis eadem
fortunã usus respondeat FABRICIUS perniciosam judicans
eam palæstram literariam, in qua excolatur sermo, corrup-
patur animus, unde prodeant juvenes & viri politis lingvis,
impiis pectoribus. *Quamvis, inquit studia literarum sine neces-
saria, elegantia expetenda, sapientia admiranda: tamen inter
Poetas discrimen statuo, quos annum jam septimum decimum u-
no in loco ipse interpretor. Est autem eorum genus quoddam ἠρε-
δαῖον, quod è Gratiarum & Musarum, ut loquuntur ipsi, fontibus
bibit, pudicum, sobrium, moratum, suave: Aliud contra ἡγεμικόν,
quod è Bacchi cantharo hausit, intemperans, lascivum, mordax,
furiosum. Non sunt autem boni & perversi, digni & indigni, nu-
mero & loco eodem ponendi: neq; nobis pariter universi debent
esse familiares, etiamsi non sint ignoti omnes.* De his ipsis verò
Poëtis

Poëtis

Poëtis Christianis pergit in eâ Epistola ad Illustrem Mers-
burgi Administratorem & Ducem Alexandrum, quod scripta
eorum, quæ antumbris bona essent & erudita, tamen, quod prodigio
simile esset, quasi planè levia & futilia, nemo ferè hæcenus eadem
attigisset, non ex imperitis modo, sed & ex doctioribus: quod illis per-
suasum esset, quia sint Poëtica & ideo hæresi contaminata, quæ o-
pinio ex abusu invaluisset, & lascivorum Poëtarum culpa confir-
mata, ad mores indoctorum sacerdotum aptè quadravisset. His
verò edoctis imposuisset neglectio & calumnia, quod in istis scri-
ptoribus rigida, inculta & barbara essent omnia, quæ ob causam
eos abjecissent, antequam planè cognovissent. A malo igitur de-
mone, religionis hoste infenso & capitali hoc profectum constat,
quod non modò rudes vulgi animos, sed & peritorum judicia ludi-
briis & mendacio fascinabit. Testatur verò idem ibidem, pru-
dentiores Prudentianos Poëtarumq; aliorum Christianorum
hymnos hîc Lipsiæ eruditissimè fuisse interpretatos, veluti
CASPAREM BÖRNERUM, virum de hac Academia longè
meritissimum, quam lectionem à **V. CL. PETRO MOSEL-
LANO**, sibi quasi per manus traditam fideli possessione ad
usum publicum multos annos ille retinisset. Insulsissimus
ergò sit oportet, qui in eodem umbone stantibus hanc cla-
vam extorquere concupiscat. Nec enim reverà sunt illa pror-
sus inculta & inamœna carmina; & ut maximè quædam vel
ævi, vel libratorum quoq; vitio maculis quibusdam & bar-
barismis inquinata viderentur, abstergendæ illæ potius veni-
ebant, hi rerum, quæ insinuant sublimitate discutiendi erant.
Quemadmodum supra laudatus **SCALIGER** Epist. 459. de
Epigrammatis Christianis (quæ inter sunt & illa **DAMASI**
nostri) in Basilica S. Petri & aliis Ecclesiis Romæ inscriptis id
judicii ferebat, quod digna essent, quæ propter Argumentū potius,
quàm propter Characterem sermonis ederentur, quia multa **Histo-**
rica in se haberent, quæ nuppiam extarent, certè major pars igno-
raretur. Quæ suo quoq; modo de hisce sacris Vatibus Galli-
cis, at Latinis tamen Scriptoribus intellecta voluimus, ma-
gis autem de **THEODULPHO**, quàm de **FLORO**. Tametsi
namq; seculo suo (ut est in vita Ludovici Pii ex Bibliotheca **P.**
PITHOEI edita pag. 359. vir undecunq; doctissimus haberetur
Theodulphus, sicuti quoq; **TRITHEMIO** vir in divinis scriptu-

gia & in secularibus literis à juventute instructus carmine excel-
lens & prosa audiit; non respondit tamen majoribus! At quæ
ille in epistola 2. versibus multis interjectis commemorat,
frustra alibi quæras miracula; eaquæ sejungenda censerem à
contextu istarum literarum, ita ut post v. 66. statim subji-
antur à v. 219. reliqua ad finem, vel faltem hîc linea pariter
ut antè subducta, utrobique; discriminarentur; quasi talia & si-
milia ille Moduino, quando ad ipsum invisurus esset, narrare
discuperet Theodulphus. Nec abit censura CL. BARTHIL
I. X. Adv. c. 18. *dum Christianis cadentis ævi scriptoribus non ni-
hil daret opera, videlicet, quia in iis plurima etiam offendamus,
quæ sciri melius sit, quàm ignorare. siquidem eruditionis solidam
laudem affertemus. Cumq; nostrâ inter sit ut legantur, non opus
esse dicit, ut eos libros, quæ alia quocq; est Theodulphi, mendosos lega-
mus. Oportemus verò nobis hoc loco jure meritoq; hyper-
criticum aliquem Scaligerum, qui & inter Drepanii Flori, &
Theodulphi scripta cerneret, an unius Flori illa, an plurium
essent, quod posterior Dn. BARTHILUS arbitrabatur; & ut-
rum duo pariter Theodulphi distincti fuerint, quorum di-
versi quoq; essent labores, quod GOLDASTUM ad Colum-
ban. video opinatum, dum non in indice modò Theodulphum
Aurelianensem à Thietholfo Episcopo, quem MS. tenebat, sed
in ipsis quoq; notis distinxerat, ita ut illius esset Epistola à
Baronio & Busæo ex Vaticana Bibl. edita ad Combresbyte-
ros Aurelianensis parochiæ, hujus verò carmen illud de Vet.
ac Novi Testamenti instruct. Sed AVENTINUS lib. IV.
Franc. Cæsarum illum ipsum Aurelianensem Theodulphum
Germanicè quocq; vocat Thietholph, qui cum Bernardo contra
Ludov. Imp. conspiravit. Nihilominus tamen & ipse quo-
que C. BARONIUS discrimen aliquod inter duos hosce
Theodulphos videtur statuisse, quorum prior Aureliarum
Episcopus anno 811. §. 47. Caroli M. testamenti ordinationi ad-
fuisse; deinde anno 816. §. 98. obviam missus fuisse Stephano
Papa ad Ludovicum Imp. Rhemos appellent: at verò anno 835.
§. 3. scripsit, Theodulphum Abbatem Floriacensem una cum aliis
conjurati Bernhardi Italia Regis adversus Ludovicum Imp.
implicitum Andegavensi carcere, post cantatum Imperatori hym-
nũ, non modo liberatum, sed & scientiæ prerogativa ad Aurelia-*

nen-

nensem Episcopatum promotum fuisse. Quod si ergo pro eodem habuisset cum illo, non iam ex Abbate in Episc. promotum dixisset, sed Episcopatu suo redditum dicere oportuisset. Verum enim verò recordari potuisset, quod hic non ut Floriacensis Abbas, sed ut Episcopus Aurelianensis in Regem deliquisset, ceu ipsemet Cardinalis Bar. anno 817. §. 16. retulerat. Et eum vel Theodulphi Elegiæ ad alios Episcopos fratres præcipuè ad Moduinum convincere debuissent, ubi quæritur, pastoribus, opilionibus & subulcis suas esse leges, sed animarum pastores Episcopos, à solo Pontifice Rom. judicandos (à quo & ipse Theodulphus antea pallia sancta accepisset) Jura sua deficere. Condonandum verò id C. Baronio, quia ut ipse fatetur. §. 4. anno 835. præter hymnum Palm. reliqua nobilis ingenii monumenta metrica non viderat, quæ tamen prope diem edenda esse, jucundum sibi, addit, auditu accidisse. Nec enim verba quoque Theodulphi ad Aigulphum evicerint, ipsum posteriori conjurationi contra Juditham Conjugem & asseclas potissimum iniuræ complicatum fuisse cum dixisset: *Non Regi, aut proli, non ejus, crede, fugali Peccavi*, nam & hanc ante susceptum Imperium duxerat, & ab ea quasi solus semper pendeat, ut in Chronico CARLONIS est, atque ita etiam in prima factione peccare contra ipsam potuisset. Verum quod non particeps criminis & consiliorum fuerit, quibus Bernardus *perderet & sceptrum, vitam propriamq; patronum* semet exculpavit. Atque ideo quando præter alios ADELMUS quoque Benedictinus annal. Francic. anno 817. & THEGAN de gestis Ludovici, nec non AUCTOR vitæ ejusdem Ludovici Pii in conspiratione Bernardina conscios *Anselmum Mediolanensem, Volfoldum Cremonensem & Theodulphum Aurelianensem Episcopos deprehensos & custodia mancipatos* retulissent. Quod scelus inter initia imperii Ludovici admissum fuerat, non ad duodevicennium usque Theodulphum in carcere attentum, credibile est, nequaquam verò eundem Theodulphum Abbatem Floriacensem, iterum simili conspirationis flagitio, liberorum scilicet Ludovici, Lotharii puta & Ludovici Bavari involutum fuisse, quando Agobertus Lugdun. Archiepiscopus cum Ebbone Rhemensis & cæteris Galliarum Episcopis errore annitentibus Ludovicum Pium Imperatorem Com-

pendii exauctorâssent, ipsi vicissim postea exauctorati & de-
positi, reliqui complices vel voluntario exiliô ejecti ut Bern-
hardus Viennensis Episcopus, vel Lotharium secuti in Italiam pe-
ste anno 837. è vita simul excefferunt, veluti Jesse olim Am-
bian. Episcopus, Helias Trecaffinae urbis Episc. VValo Corbeienfis
Abbas cum Matfrido &c. ut docuit Auctor vitæ Ludovici Pii,
ubi nulla hujus Theodulphi mentio. Tametsi neotericis qui-
busdam quoq; Theodulphus Floriacensis Abbas (ut scribit AL-
BERT. CRANTZIUS metropol. Sax. l. 1. c. 27.) feratur, quod
rebellionis filiorum in parentem Ludovicum particeps, eum impe-
rio removendum inq; cœnobiurn concludendum sensisset, atq; ideo
in carcerem Andegavensem conjectus fuerit, cumq; Imperator im-
perio restitutus eò postea venisset Dominica Palmarum, Theodul-
phus hymnum GLORIA, LAUS ETC. quæ in carcere fecerat,
altâ voce, prætereunte Imperatore accinere cœperit, cujus elegan-
tiam & melodia suavitatem admiratus Imperator, non tantum
eum in gratiam receperit, sed & Episcopum Aurelianensem fecerit.
Miror verò, unde hæc omnia hauserit Cranzius: cum veterum
nemo ista tradiderit, ne SIGEBERTUS quidem GEMBLA-
CENSIS Chronico ann. 843. (quo tempore claruisse vole-
bat hunc Theodulphum) Nam solum eum è Floriacensi Ab-
bate Episcopum postmodum Aurelianensem, sed non tum factum
Episcopum prodidit, saltem verò jussu Imperatoris absolutum.
Quicquid sit, falsus omnino fuit Card. Baronius, quod Theo-
dulphus adhuc ob conspirationem Bernardinam carcere
Andegavensi A. 835. detentus fuerit. Nam & JODOCUS
CLICHTOVEUS in Elucidarii Ecclesiastici p. 32. Theodulphum
hunc apud Ludovicum Imperat. accusatum & Andegaviam rele-
gatum, dixit, quod filiis ejus in conjuratione contra patrem fabris-
set, eorum partes secutus. Ubi tamen svaviter somniavit, in so-
lemnitate diei Dominicae in ramis palmarum supplicationem pu-
blicam pro more Ecclesiastico apud Andegavos factam, cui & Lu-
dovicus Rex interfuisset, transeunte verò & illac Clero, cum popu-
lo, ubi Theodulphus custodiae mancipatus fuisset, factoque silentio,
ipse aperta fenestra hymnum à se tunc primum editum suaviter
coram omnibus concinuisset, religione ejus permotum Ludovicum
non modo eum protinus vinculis liberasse, sed & in pristini honoris
statum revocasse. Quod ab ipso quoq; ADAM. SIBER. in Bre-
viario

viario

viario Christiano transcripfit. Videlicet præsupposuerant illi
Episcopum eum jam antea Aurelianensem fuisse. Sicuti quo-
que JAC. PHILIP. BERGOMENSIS in Chron. A. 833. jam
tum, quando conjiceretur in carcerem, Episcopum eum fu-
isse voluit, postea verò addidit, *Imperatorem insontem Episco-
pum absolvisse & ad Episcopatum suum cum gloria remisisse.* Quia
& ipse CRANTZIUS l. cit. *quærenti Imperatori, cujus hominis
vox esset, quam audiret, indicatum, ait, esse Theodulphi Episcopi
Aurelianensis.* ut propterea amico videretur, inconsideratè
Crantzum allegatum fuisse à BARONIO & exinde à SPON-
DANO. Quantò igitur rectius JAC. SIRMONDVS tom. 2.
in Conciliis Gallicanis præ C. Baronio (qui & Epistolam il-
lam Theodulphi ad Clerum Aurelianensem in annum 835
retulerat, Tomo IX. inserens) judicaverat, *Epistolam hanc,*
quam Capitulare vocat, circa A. 797. Leonis 3. Caroli M. Regis
29. editam fuisse : quod id tempus propius ablit ab exordio
Pontificatus Theodulphi, quem A. 794. Episcopum iam fu-
isse constat ex Concilio Francofurtensi & ALCVINI Epist.
4. ad Carolum Regem. Cujus ultimæ voluntati quoq; sub-
scripserat Theodulphus hic Episcopus cum Laidrado Lugdu-
nensi Episc. quem socium suum appellavit ille Aurelianensis
in Parænesi ad Judices à v. 85.

*Seu qua Lugdunum Arcturo aut Aquilone reditur,
Resq; Aquitana tuis, pulchra Tolosa, locis.*

*Hæferat hæc nobis LAIDRADUS sorte sodalis,
(Cederet ut magnus hoc relevante labor.)*

*Noricus hunc genuit, hunc tu, Lugdune, futurum
Pontificem speras religionis ope.*

Arte cluit, sensuq; viget, virtute redundat,

Cui vita ad superam transitus ista manet.

Ad quam ipsam commissionem, in toto regno Galliarum vi-
sitandi, ipsi jam à Carolo Magno deputati & ablegati fuerant.
Jam verò Laidradus junior Theodulpho videtur & nihilo-
minus major AGOBARDO, cujus fuerat antecessor, ut cui
juxta ADONEM Viennens. Episcopum ad ann. 810. initio
Imperii Ludovici Imp. Svesionis monasterii locum petens,
suum

sum cessit, ceu consentiente Imperatore & universa Gallo-
rum Episcoporum Synodo substituto Episcopo, de quo Ago-
bardo argute PAPTIVS MASSONVS pronūciavit, ipsum
natum aurea Caroli Magni etate illustrium & doctissimorum,
Apollinum alumna, floruisse etate, argentea Ludovici, extinctum
verò inter ferrea Filiorum Ludovici certamina. Ex quib; omni-
bus elicimus, Theodulphum Aurelium plerisq; hisce prove-
ctiorem, postremæ illi conjurationi Ebbonis & Agobardi
non admixtum fuisse, imò verò, quod AVBERTVS MIRÆ-
VS in Auctario Bibliothecæ Ecclesiasticæ pag. 227. firmiter
statuit, Theodulphum hunc nostrum ad A. 835. non perve-
nisse, ostendente id JONA ejus in Aurelianensi cathedra suc-
cessore, qui à Ludovico Pio ad Eugenium P.P. A. 824. missus
sit. Occasionem verò errori suppeditasse reor, quod BRON-
NIVS & alii confuderint conjurationem Bernardinam ita di-
ctam à Bernardo Pipini filio, Caroli M. nepote, Italiæ Rege,
cum altera quæ à Pipino Ludovici Pii filio Caroli quoq; Ma-
gni pariter nepote Aquitanix Rege & Lothario fratre contra
Bernardum Gotthicanorum Comitem, & consequenter Lu-
dovicum Imp. patrem, in cujus aula ille omnia poterat, in ita
fuerat, quæ eidem Filius Bernardi hujus, Aureliani captus,
luminibus privatus fuerat, ceu olim Bernardus ille Pipini F.
à Ludovici proceribus. Cum ergo in gemina illa conspiratio-
ne, multa gemina quasi & ipsa conspirarent, turbidam inde
factam historiam, credibile est, accedente fortassis & illo,
quod in concilio Episcoporum, quos filii Reges contraxe-
rant, habito, interesse potuerit Abbas Floriacensis, Thiethol-
fus & ipse dictus, atq; idem quoq; cum Agobardo Lugd. sede
suadejecto carcere multari potuisset, quod Imperium Ludo-
vico patri prætextu decreti sacri abrogassent, & in D. Medar-
di cœnobio tonsam eum suscepto monachi habitu ac additâ
custodia veluti incarcerassent. ceu PAUL. ÆMTLIVS VE-
RON p. 116. illud ostendit. Verùm cum juxta eundem ibidem
hæ res in vicissimum à Magni (Caroli) obitu annum tractæ sint,
non iisdem sed mutatis personis licet cognominibus eadem
penè acta fuit fabula. Neq; tamen reperio quæquam vete-
rum & ejusdem ævi Historicorum Scriptorum meminisse
Theodulphi Aurelij, quod postremæ illi conspirationi libe-
rorum

rorum contra Ludovicum patrem interfuerit, sed saltem pri-
mè illi scribitq; post alios **MVTIVS** Sex probatissimis vetustis
Germanorum Chronologis lib. X. p. 74. *Ludovicus Imp. patru-
us Bernardum nepotem adhuc admodum adolescentem & tres E-
piscopos (quorum instinctu potissimum tantam rem conatus fue-
rat) scilicet Theodolphum Aurelianensem, Valfredum Cremonen-
sem & Anselmum Mediolanensem secum aqbi granum captos
duxit. ibiq; concilio habito damnatus Bernhardus Rex capite luit
pœnas, Episcopi propter religionem, quâ non licebat eos occidere,
sunt in exilium missi. postea v. p. 79. Remensis Archiepiscopus
(Ebbo) qui contra Ludovicum cum filiis conjuraverat, deponitur
ab Archiepiscopatu, sic a propter unctioem donatur illi, in exili-
um mittitur. Alii verò Agobardum Lugdunensem & Bernar-
dum Viennensem Episcopos implicitos recordantur. Solus
fortasse fuerit **SIGEBERTVS GEMBL** qui tamen longè po-
sterior & post annum MC. vixit ac Theodolphum ex Abba-
te Floriacensi Episcopum Aurelianensem factum, auctorem-
que illius hymni dixit, nec non Andegavi exulantem & ab-
solutum, sed non conspirationis hujus postremè complicem.*

Venati hætenus Theodulphi ætatem, restat, ut **DREPANA-
NII** quoq; **FLORI** indagemus, quem licet illi in Textu præ-
posuerimus, quod Psalmos & hymnos plures præ nostro scri-
pisset, attamen natu majorem haud arbitramur, tametsi cer-
tò compertum ejus ævum nemini hucusq; fuerit. Sic enim
FABRICIUS Comment. in Poëtas Christianos p. 45. anno-
tatum reliquit: *DREPANIUS* natione Gallus fuit, ut ex ejus E-
pistolis colligitur, *FLORUS* nominatus, ut ex Epistola ad Modu-
inum liquet; scripsisse eam hymnos ipse testatur ad *Vulfinum Gram-
maticum*: Quo tempore vixerit quas dignitates gesserit, quid præ-
terea scripserit, à nemine annotatum invenitur. Extat **LATINI
PACATI DREPANII Panegyricus** Theodosio seniori dictus Ro-
ma: *Qui tamen an hic Drepanius sit, affirmare non possum.* Con-
fidentior fuit Editor Bibliothecæ Patrum Coloniensis Tomi
5. part. 3. pag. 643. Ubi Drepanium Florum Poëtam Latino
Pacato Drepanio Rhetore ducentis quinquaginta paulò plus
minus annis posteriorem atq; hunc quidem Romæ Theodo-
sio magno sive Seniori panegyricum circa annum Christi
390. dixisse; illum verò ad Moduinum XXXVII. Hednorum
Episcopum

Episcopum epistolam exarasse, qui cum undecimus fuerit à
S. Syagrio Martyre, fratre Regina Galliarum Brunehildis,
quæ vixerat ætate Gregorii M. Papæ A. DXC. exinde cõclufit,
Drepanium Poëtam ad annum Christi DCL. vixisse. C. quoq;
BARONIVS in Notis ad Martyrologium Rom. 8. Maii, cum
ibi loci jam olim solemnitatem S. Michaëlis Archangeli, ap-
paritionis cujusdam, ante alias exhibitæ, occasione agi con-
sueviffe dixisset, illud ex *Drepanii Flori vetustissimi Poëtarum
Christianorum* (ita eum vocavit) *carmini ad Michaëlem Ar-
changelum probare voluit. Qbi tamen alius sit ab altero Pacato
Drepanio, Claro Oratore Romæ & Imperatoris, cui panegyricum
dixisset, Officiali, sicuti in Cod. Theodos. rescriptum legatur Theo-
dosii Imp. ad Drepanium lib. IX. de exhibendis reis; ubi Pro-
consul fuit Africæ, Coss. Valentiniano Aug. V. & Neoterico,
qui fuit annus Christi CCCXC. Contra vero Drepanius Poëta,
cujus ingenii monumenta extant in Collectione Poëtarum Chri-
stianorum, videatur ille esse, cujus meminerit SIDONIUS lib. 8.
Epist. II. ad Lupum. Quod repetiit idem Cardinalis tomo VI.
annalium A. 493. Sicuti quoq; Bibliothecarius index & Ap-
paratus sacri auctor POSSEVINUS idem asseruerunt. At SA-
VARONIUS aiebat, parùm per spectè eos intellexisse apud Sidon-
hinc Drepanium Florum Hymnographum, qbi cum ad Moduinum
Augustodunensem Episcopum Carolo Calvo Coætanium scribat,
(de quo V. Synodus Sveslionis A. C. 853.) longè post Sidonium
fuerit, alter verò Drepanius Pacatus ante Sidonium & Theodosii
M. co. ævus panegyrista, qvem pateat ex initio sermonis illius (ubi
non esse fastidio debere rudem & incultum Transalpini ser-
monis horrorem præfatus fuit) provincia eum esse Aquitanum,
ex Sidonio & patria Aginnensem, utpote cum Nitiobrogibus illum
restituatur, quæ in Itinerario Antonini & Notitia provinciarum
Aginnensis sit Civitas. Tamen verò aliter C. BARTHIVS lib.
VIII. c. 3. & lib. LIII, 12. sentire videatur, vetustiore Florum
hunc credens, quàm ut ad Moduinum illum scribat, qbi Theodul-
pho Aurelianensi co. ævus fuerit: Verùm cum & ad alios Aure-
lianenses v. g. Vulfinum Grammaticum scribat Drepanius
hic noster & ad plures illius ævi, non video causam, cur vetu-
stiorem ipsum, vel nonnulla ejus nomini supposita etiam in
tam paucis carminibus existimare debeamus, licet utraqve
manu*

manu largiamur, eum facile aequalium suorum principatum habere, ceu doctum & acutum Christianitatem; qualem titulum Drepanius Florus ab eodem Dn. BARTHO ad Rutilium pag. 92. retulit. Nec aliquem moveat, quod & de Roma veluti adhuc stante locutus sit, ut in hymno ad S. Michaelem:

*Dignatus Petri Pauliq; invisere sedem,
Imperiumq; fovens, inclyta Roma, tuum.*

Et quod in sequenti de Cereis Paschali, tanquam de usitatis adhuc gentiliis ceremoniis differat, quas Christiani religione majore & meliore superent. Sed de utroq; tam de Roma, quam de Cereis, sequiorum quoque vel posteriorum temporum Scriptores non aliter ferè ac veteres (quorum æmuli esse cupiebant, & antiquitatem semper in ore habebant, statumque eundem perpetuum crepabant) loqui fuisse solitos certum est; sicuti etiamnum talia adspargere sivevimus, nihilo propterea statim antiquiores futuri. Quare nullus aberravit SAVARONIVS V. C. nec nos aberraturos confidimus, si eundem Florum cum Theodulpho & Moduino atque Agobardo Episcopis Gallicanis Gallum & ipsum compegerimus, ceu coætaneum & tantum non Collegam eorum. Nam inter ipsius Agobardi opuscula quoddam habetur, quod *Reverendissimo ac dilectissimo Domino & Fratri Bartholomæo Episcopo Agobardus, Hildigisus & Florus de quorundam signorum illusionibus* inscripserunt. Et sane idem Florus nomine totius Ecclesiæ Lugdunensis, cujus esset Diaconus, plura quoque talia scripsit, contra Hincinarum Rhemensis Episcopum circa annum 848. erudito edito commentario, juxta DICONTS. PETAVIUM Rat. Temp. parte 1. l. 8. c. 10. & MIRÆVM auctario Bibliothecæ Eccl. c. 167. & 269, ubi ait: *Lugdunensis Ecclesiæ nomine extat liber sub A. 850. scriptus adversus opinionem Jo. Scoti Erigenæ: item libellus alter de tribus Epistolis quorundam Episcoporum, quibus de earum sensu juxta Catholicæ veritatis regulam sentiendum sit.* Uterque libellus cum notis Andreae Duvallii Doctoris Sorbonici legitur tomo IX. Biblioth. Patrum Colon. edit. p. 1098. ubi hic inter alia retulit, contra Joannem Scotum Erigenam scripsisse FLORUM quendam (Sed quævis ille fuerit, ignorari) & eum damnasse, ab eoque versionem Bibliorum aliam allegatam, quod fortè propriam sibi fabricaverit illa Ecclesiæ

si

sua, utpote viris apprime doctissimis referta, quibus juxta AUGUSTINUM Græci traductores numerari possent, Latini verò minime. Et mox pag. 1101. Quis autem fuerit magis ignoratur, quam scitur: Solum accipe ex NICOL. FABRO sedulo antiquitatis peruestigatore, FLORUM Magistrum, quem Trecentem illum Episcopum arbitramur, qui contra Joannem Scotum scripsit quam plurima; hic inquam FLORUS in Psalm. 80. (quem & ad Modinum disticho tertio laudavit) adversus Amalarium scribens: Vis, inquit, comedere ipsum Dominum Deum tuum? audi quid dicat: Dilata os tuum & implebo illud. Dilatate ora vestra, ipse est Dominus, & panis ipse hortatur nos ut comedamus: At ipse noster est cibus: quantum dilataveris, tantum accipies. Ex quo conjectura locus relinquitur, Amalarium illum, cum Joanne Scoto fuisse Berengarii præcursores & veluti antesignanos. Quamobrem BLONDELL. de Eucharistia p. 43. citavit hujus Flori, Theologi Lugdunensis, qui & Magister dictus, expositionem Liturgiæ Rom. & librum MS. contra Amalarium ibid. pag. 422. Sicuti quoque præter librum adversus Joannem Scotum, Serm. de prædestinatione, item de Missa, atque præfationem in Irenæum, expositionem quoque epistolarum Pauli ex X. Patribus delibatam scripsisse eum notavit JAC. SIRMONDVS notis ad Alc. Avitum p. 61. & 62 quem & tomo 3. Concil. Gallicanorum V. Quin & Florum, Rhemigium & Ratramnum pro dogmate Godescalci stetit contra Rabanum, Amalarium, Jo. Scotum Hincmarum &c. ait J. Usserius c. XII. historiæ Godescalci citatus in Præfatione Renati Devisi (sive And. Riveti) ad Lupi Servati opuscula. Certe maxima in estimatione Lugduni tempore Agobardi ibidem Episcopi fuisse hunc Florum VVALAFRIÐUS STRABUS epist. elegiaca ad eundem Agobard. ita firmat:

*At de flore novo, qui vos penes ortus, odorem
 Prodit ubiq; sui, hæc loca rumor alit.
 Flora venit quondam, dum singula quæq; Deorum
 Sunt affata, jugis præta thymumq; gerens.
 Huic FLORO melius sententia Christicolarum
 Attribuit, quicquid dogmate & ore viret.*

Nam

Nam florem hic FLORUS sequitur de germine Jesse,
Et tradit quod amans attulit ille homini.

Quæ tam segnis erit, donisq; ingrata supernis,
Quæ se non spontè hoc nectare pascat apes?

Floreat haut flaccens hic flos, & florea flagrans
Spiramenta ferat semper ubiq; Deo!

Donec in astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat & fructum jam sine fine habeat.

Cedant ambrosia, rosa, lilia, spica, crocusq;
Suavia cuncta simul, hujus amor placeat.

Hoc fruatur, hoc utar, fovear, delecter, abundem,
Auditu visusq; hujus alar, docear.

Det quandoq; Deus nos mutua dona vicissim
Impertiri, aliquid pars utriusq; metet.

È qua Elegia patet, vel ipsum Florum Agobardo æquatum,
aut ipsum fuisse, qui nomine Agobardi responderet, quod hic
Strabus tantopere desiderabat, atq; adeo non Theologum
faltem sed & Philologum eum atq; Poëtam egregium simul-
que Theologicum fuisse. Sicuti quoq; ex ejusdem VVALA-
FRIDI Epistola ad Moduinum idem liquet. Nam cum Mo-
doinus hic eximiè poëticis quoq; literis excultus foret, non
modo Florus & Theodulphus sed & S. Galli Monachus ille
ad ipsum elegias exararunt, & ab ipso alias vicissim expecta-
runt, licet bellis quoq; occupatissimo.

Sperarem vestra (infit Strabo) jam nunc solatia Musæ,
Nim mala per regnum tanta voluta forent.

Nunc Doctor, Miles; Præsul, bellator habetur;
Pessundant propria quia, aliena gerunt.

Eheu quam clarè Satana servitur honori,
Et pax pacis adest, Orbe repulsa procul.

O proreza pio studium dispone labori,
Ne fluctus mergat, qui furit in brevibus.

Quæ nemo rectius exposuerit, quàm LUPUS Ferrariæ Seno-
num monasterii Abbas, Caroli Calvi tempore Clemus, Episcopus,

28. ad Jonam Aureliæ Episcopum, ubi *Aquitania tutelam tri-*
partito divisam fuisse dixit, secundum oportunitatem locorum
distributa virorum militarium multitudine, quarum uni parti,
quæ apud Clarum Montem ageret, præfuerit Modoinus Augusto-
dunensium Episcopus & Aubertus Abellensium Comes; alteri quæ
Lemovicis versaretur, præfederit Gerardus Princeps quondam &
Charus Pipini Regis, Tertia verò prælatu fuerit Reinhardus Co-
mes Engolisma constitutus. Subditq; Dominum Regem ad S.
Martinum venire unciatum fuisse, inde & per urbem Aurelia-
nensium transiurum, cui aut ad urbem Turonum aut Aurelia-
nensium occurrere deberet Lupus. Atq; hæc tam prolixè afferre
studiosè volui, ut cum hic Lupus Servastus circa annum
840. inclaruisse putetur, aut paulò priùs, ejus tempore adhuc
Jonam illum Aurelian. Episc. vixisse demonstramus, ut ex
Abbate Floriacensi haud alius Aurelianensis Episcopus fieri
potuerit, sede non vacante. Siquidem ipsemet Jonas hoc
tempore, cum Imperator Ludovicus Aureliam appulisset, i-
psum Sapphica illa sua Oda excepisset. Quia & hoc quoq;
observatu haud injucundum fuerit, ipsius VVALAFRIDI quæ-
dam, quando his Episcopis æquævus extiterit, Theodulpho
nostro fuisse attributa Tomo IX. Bibliothecæ SS. Patr. p. 642.
parte 1. tamen si Editores fasti fuissent, illis ipsis nullum Au-
ctorem adscriptum fuisse, veluti sunt Epitaphia Geroldi Co-
mitis & Constantii, hymnus de natali Domini & de S. Sergio &
Baccho, ad Ludovicum Imperatorem in persona Paldmanni, &
ad Carolum Filium Augustum, cum hic Augiam venisset, ubi Ab-
bas fuit VValafridus: quæ carmina omnia à Poslevino inter
MSS. monasterii S. Galli in Helvetia p. 110. & inter VVala-
fridi Strabi Opuscula p. 546. & 547. huic Abbati Augiæ divi-
ris vindicantur. Quod monendum nobis fuit, qui illa omnia
hic quoq; reliquimus, ne quid detraxisse Auctori fortè vide-
remur. LAIDRADI quoq; non dissimulamus Epistolam ad
sororem in prosa scriptam haberi ab aliis, nobis verò metri-
cam apparuisse. Atq; hæc hæctenus præfatos fuisse sufficiat,
reliqua judicio benevoli & acuti Christianiq; Lectoris
una nobiscum commendamus.





DREPANII FLORI PSALMI
ET HYMNI.

PSALM. XXIII.

ME pater omnipotēs clemēti jure gubernat,
Non mihi dira fames, non ulla nocebit e-
gestas.

Ad sunt graminei colles & pascua leta,
Ad sunt & liquidi fontes, & flumina larga,
5 His ego nutritus, bis semper abunde reffectus,
Justitiæ rectos contendam carpere calles,
Quos mihi dux mentis secreto lumine pandit,
Ipsius ut nomen celebretur laude perenni.
Illum ego corde sequens, leti mortisq; tenebras,
10 Intrepido calcabo pede, mala nulla timebo:
Meme quippe tuæ pie rex correptio virgæ,
Me baculus, pater alme, tuus firmatq; regitq;
Tu mihi delicias, tu mensam epulasq; parasti,
Quò satur invictas adipiscar pectore vires,
15 Adversasq; acies pulchro certamine vincam:
Ut mihi post validos pugnae victricis agones,
Letitiæ largo caput adspargatur olivo,
Lucifluusq; calix pleno me proluat haustu,
Servatusq; tua cunctis pietate diebus,
20 Sidereum Christi merear conscendere templū:
Sub quo perpetuis vivam feliciter annis.

A

PSALM.

PSALM. XXVI.

Lux mihi pura deo, deo est mihi vivida virtus:
 Nec tenebras igitur, nec mortis iura verebor
 Hoc tutore mea & munitur denique vita,
 Ne me dira loco possit formido movere:
 5 Sed spernam cunctos robustis viribus hostes,
 Qui properant nostras malis absumere carnes.
 Ecce meum tanto pulsant qui turbine pectus,
 Robore contrito tristi periere ruina:
 Sive ergo castris sedeant, seu praelia tentent,
 10 Ponam corde metum, spem tota mente resumam.
 Unum est, quod caeli dominum intenseque poposci,
 Quodque ardens nimio voti fervore requiram,
 Ut maneam cunctis Christi sub moenibus annis,
 15 Ipsius & sancto semper succensus amore,
 Saepius aeterni visam sacra limina templi,
 Hic me namque, feris cum cingerer undique bellis,
 Sub proprio abscondit thalamo, velisque sacratis
 Obtectum gratia nimium confovit in umbra.
 Hic me praevalida saxi sublimis in arce
 20 Constituit, se vosque super pius extulit hostes,
 Quo subjecta meus temnat certamina vertex.
 Ibo igitur sacri veneranda per atria templi,
 Ac munus laudum Christi devotus ad aram
 Persolvam, gaudensque melos & carmina dicam:
 25 O Deus aetherei censor mitissime regni
 Pande salutiferas maestis clamoribus aures,
 Quosque gemens fundo miseratus respice fletus.

Te

*Te mea vult facies, te mens, te corda precan-
tur,*

- Conspectum faciemq; tuam Pater alme requiro.
30 Neve pios oculos, sanctum neu subtrahere vultu,
Neu famulu dominus bello incubente relinqve.
Esto mihi clemens potius, fidusq; patronus,
Nec me contemptum truculentis desere monstris.
Meme quippe feri quondam liquere parentes:
35 At bonus hic Dominus dulci pietate refovit.
Pande mihi rectum perplexa per avia callem,
Legis & eximiam tribuas fulgere lucernam,
Ne ferro accinctos incurram nescius hostes;
Sed duce te gradiar inimica per agmina tutus.
40 Nam me falsiloqui cinxerunt undiq; testes:
Nil tamen in fontem mendacia vana nocebunt,
Sed mendax proprium portabit lingua reatum.
Ast ego confido Domini quod gaudia larga,
Vitali in patria letus sine fine videbo.
45 Expecta Dominum constanti corde benignum,
Semper & adversis confige viriliter armis:
Nam bona perpetui patiens feret inclita regni.*

PSALM. XXVII.

Ad te polorum conditor
Clamore supplex intimo,
Votum precemq; dirigo.
Aurem benignus commoda.

A 2 Nam

Nam si tuis oraculis
Indigna gesto pectora,
His exto jam simillimus,
Imò vorantur qui lacu.

Audi precantis anxia,
10 Pater supreme, murmura!
Dum templa coeli ad ardua
Elata tollo brachia.

Ne me scelestis obsecro,
Et criminosis coetibus,
Mixtum trahas ad infima
Pænæ voracis Tartara.

Qui lingvâ & ore subdolo
Pacem loqvuntur proximo,
Dirum sed altis contegunt
20 Bellum feri præcordiis.

His ergò, judex optime,
Parem repende gratiam;
Tormenta versutis vafra,
Infer malignis callida.

Manus iniquis actibus,
Vitamq; fraudi debitam,
Condigna plectat ultio,
Fraus fraude, vita concidat.

Domus dolosis illita
30 Fucis, perennè corruat:
Quæ facta mens nescit Dei,
Densis tenebris horreat.

Grates

Grates polorum Principi,
Qui vota servi supplicis,
Vocemq; clemens flebilem,
Tanto beavit munere.

Hic dimicantem protegit,
Juvat, tuetur, erigit:
Hujus favente numine,
40 Claros triumphos consequor.

Tunc dura post discrimina,
Caro dolore libera
Florebit, & decus novum
Pulchræ salutis induet.

Huic ergò prompto spiritu
Mei decoris Principi
Laudes sacro debitas,
Hymnosq; dulces concinam.

Hic namq; virtus inclita
50 Plebis beatæ præmia:
Hic ipse Christo proflua
Servat salutis gaudia.

Salva creator optime,
Plebem redemptam sanguine,
Tuæq; dita præmiis
Hæreditatis gloriæ.

Hanc cum potenti dextera
Semper gubernas & proteges,
Extolle summis hanc bonis,
60 Ævi perennis seculis.

A 3

Hy.

HYMNUS ANANIAE, AZARIAE, ET
MISAEEL, Sanctorum trium puerorum.

O Mne quod aeternus, per verbum condidit
auctor,
Auctoris nomen celebret, laudesq; resultet,
Exaltetq; suum per secula cuncta parentem:
Angelica vestro turmae benedicite Regi,
5 Ingentumq; simul resonet vox celsa polorum:
Huc moduletur aqua, quas sustinet arduus ether,
Hunc omnis sancto virtus decantet amore.
Hunc Sol argenti psallat splendore coruscus,
Hunc gelido fulgens collaudet lumine Luna,
10 Hunc pariter totus stellarum concinat ignis.
Te pluvia exundans, te ros lenissimus edat,
Discordesq; aure concordi voce resultent:
Artificem proprium pulcherrima flamma loquatur,
Et rapidus Domini nomen simul aestus anbelet.
15 Hoc glacialis hiems, hoc torrida personet aestas,
Roscida temperies, & tempora cana pruinis,
Horrendumq; gelu, & magni vis frigoris inges,
Et glacies crustis, vertens immanibus undas,
Atq; nives denso vallantes vellere terras,
20 Auctori per secla Deo sua carmina dicant.
Hunc nox somniferis involvens cuncta tenebris,
Atq; dies varios distinguens luce colores,
Mortalesq; animos torrentia fulgura laudent,
Et nubes largo ditantes ubere terras.
25 Te sator immensas tellus fundata per undas,
Te

Te quoq̄, sublimi gaudentes vertice montes,
 Et colles humili spectantes sidera collo,
 Aëriq̄, sonent jucundo murmure silvæ,
 Atq̄, omnis celebret fœtus telluris opimæ.
 30 Tum fontes gelido moderantes caumata potu,
 Et maria horrendo quatientia littora fluctu,
 Flumineusq̄, canat lapsus clamore sonoro.
 Te ceti immanes, & quicquid raptat in undis,
 Te volucrum dulcis laudet concentus in agris.
 35 Te pecorum mitis grex inclite personet, & te
 Vis etiam resonet rabidarum torva ferarum.
 Hunc hominũ omne genus pollens ratione potēti
 Innumeris recinat linguis, hunc ipsa resultet
 Israëlitarum nimium plebs cara Tonanti.
 40 Vosq̄, Sacerdotes, quos nobile germen Aaron
 Edidit, & sacro Levitæ sanguine creti,
 Quos proprij templi voluit Deus esse ministros,
 Perpetuas supero laudes persolvite Regi.
 Spiritus hunc animæq̄, ciant per secla piorũ,
 45 Et sancti atq̄, humiles pura pietate frequentēt.
 Hunc Anania sacer summo sustollat honore,
 Azariasq̄, simul reverendo prædicet ore,
 Et Misaël pulchro sanctus collaudet amore;
 Qui se de medio fornacis turbine tutos
 50 Eruit, & venti rorantis flamine fovit,
 Cùm rapidis cincti canerēt hæc carmina flāmis,
 Vimq̄, suam oblitus sanctos non lederet ignis.
 Res mira, & nullis abolenda in secula seclis,

Non curo, non vestis, non verticis ipse capillus
55 *Ardorem sensit piceum flammæve vaporem:*
Quin lati atq; alacres, ipso poscente Tyranno,
Egressi in laudes veri, domuere prophana
Ora, Dei, quo psallenti mirantia vultu,
Horrore ingenti tremuerunt Barbara corda.
60 *Hunc & nos igitur summum sanctumq; Paren-*
tem,

Cum Nato, immensi statuit qui culmina cœli,
Cumq; sacro flatu, virtutum auctore potētum,
Laudibus assiduis digno exaltemus honore.
Te, Domine, æternus cœlorum prædicat axis,
65 *Te laudat cœli sacrosancto exercitus ore,*
Glorificatq; ingens cunctarum machina rerū,
Extollit, metuit, clamat, benedicit, adorat.

HYMNUS AD MICHAELEM ARCHANGELUM.

C*arent Angelici sublimia festa diei,*
Allatur apic donata beata anima.
Hunc etenim Michaël, aulae cœlestis alumnus,
Conspicuo nobis consecrat ore diem.
Dignatus Petri Pauliq; invisere sedem,
Imperiumq; fovens, inclita Roma, tuum,
Qui proceres inter pia mœnia luce coruscas,
Egregio vultu splenduit, Orbe novô:
Cùm Deus expulsis lucem depromeret umbris,
10 *Conderet & stabilem nocte ruente diem.*

Hic

Hic Vati eximio, placidi Jordanis ad undam,
Se castris domini prodidit esse ducem,
Cum sacro in campo stricto consisteret ense
Subrueretq; piis impia septa tubis,
Dejiciens septem victrici fulmine gentes,
Sacratiscq; Deo mystica regna ferens :
Hunc Gabriel solum auxilium sibi ferre fatetur,
Ad pia cœlestis castra tuenda Dei,
Admissas referens Danielis in atria cœli,
20 Quas sancto impastus fuderat ore, preces.
Hunc oculis mentis, inter myrteta, beatus
Zacharias roseo sidere vidit equo,
Tendentem niveas templa ad cœlestia plantas,
Proq; Dei, affectu, plebe rogare, pio.
Quattuor ex gemino ruerēt cū monte quadrigæ
Disparibus raptæ præcipit anter equis:
Dum rufi, atq; nigri, nivei, variiq; jugales,
Perlustrant cuncti jugera vasta soli:
Atq; Dei summo referunt exacta ministro,
30 Principis & pendunt ad pia jussa sui:
Qui spem dejectis spondens, solatia mœstis,
Spiritu vatis sic reboare jubet:
Hierusalem Dominus larga pietate reviset,
Atq; ille æterno jam sit ut aula Deo.
Quam tantus numerus hominumq; gregumq;
replevit,
Nullius ut mari cingier orbe queat:

A S

Sed

*Sed Deus hanc ignis jugi munimine cinget,
Consumens hostes, lumen & intus agens.
Hic sub fine etiam cum serpens ille vetustus
40 Intulerit Christo praelia cassa Deo,
Caelestem cupiens telis excindere sedem,
Et populum sacrum carpere dente fero,
Consurget toto caelestis turbine pugna,
Flammarumq; globis castra nefanda premet:
Tum populus Christi perfecta pace fruetur,
Semper & angelico concinet ore melos.*

DREPANII FLORI

DE CEREO PASCHALI.

*A*lme Deus rerum, caeli custodia cujus
Legibus aeternis, vertigine concita jugi,
Volvitur, immensi socialis machina mundi:
Te caelum, & quicquid caeli tegis aureus umbo,
Te chorus astrorum, te Sol, & menstrua Luna,
Te nimbi & nebulae, verrentesq; aequora venti,
Te lucis noctisque vices, te quattuor anni
Tempora, transcursis in se redeuntia rivis:
Te terra & quicquid terras ambitq; tegitq;
10 Te freta, te curvis errantia flumina ripis,
Te properi fontes, te jussa stare paludes,
Te prona pecudes, sortitaq; alta volucres,
Te muti pisces, te virosi serpentes,
Pro se quisq; tremunt: age rerum maxime Reſtor,
Sidereas acies oculorum blanda tuentum
Ad famulos demitte tuos, vultuq; serenus,
Aspice

Aspice constructam tanta in mysteria plebem,
Unum quæ trino celebrat sub nomine numen,
Non sic Idæis simulantur Dindyma Gallis,
20 Attica nec Grajis nuribus vigilatur Eleusis,
Orgia Thebanus vel agit nocturna Citharon,
Nil habet insanum strepitu, nil thure vaporū,
Sanguine nil madidum, nil cursibus immoderatū
Nox sacris operanda tuis, tantū prece pura,
Simplicibus votis, manibusq; ad celsa supinis,
Te colimus, natumq; tuum, quem cuncta tuentē
Et tibi consortem verbo genitore creasti,
Ignea quem celsi linquentem mœnia cœli,
Visurumq; suas hominis sub imagine terras,
30 Intactopregnans utero dedit innuba mater.
Hunc ut per totam possimus dicere noctem,
Inferimus claros sanctis altaribus ignes.
Vestibus innumeris tereti circumflua gyro,
Æquoreum cohibet formatrix cera papyrum,
Cera domus mellis: jam cætera turba colentum
Nigrantes tenuat vario splendore tenebras,
Uberrat stuppas, fervet discordia concors,
Ut dum sacra pio peraguntur mystica ritu,
Æmula sidereis vigilent funalia flammis.
40 Hæc tibi nempe tui patris indiscreta propago,
Multaluce micans, terra nox splendet in omni,
Nox claro magis clara die: gens nulla nivali
Usq; adeo subjecta polo est, quam frigore pi-
gram

Sidus

*Sidus & aeternæ premit inclementia brumæ,
Quæ te, Christe, neget, rutilum quæ flammæ
orbem*

*Sol agit, occidui quæ meta secunda diei est,
Et qua prima patet reditura janua lucis:
Tu coleris dum finis erit, dum terra manebit,
Vertetur cælum, vertentur mensibus anni,
50 Semper honos nomē q̄ tuum laudesq̄ canentur.*

DREPANIUS MODUINO

Augustodunensi Episcopo:

Exhortans ad legenda sacra volumina.

Solvo, Pater, profluas hilari de pectore grates,
Quod referas Floro labra benigna tuo,
Ex quis prædulcis destillat gratia mellis,
Ambrosiusq̄ liquor pectora nostra fovet.
Audieras crebro Domini pia dicta jubentis,
Os ego, si pandes, ex satiabo tuum,
Cœlestem sitiens traxisti in viscera flatum,
Unde modo suavis efflat & almus odor.
Hausisti placidas Jesu de fontibus undas,
10 Unde meam recreas doctor abunde sitim.
Sic rogo divinis flagrent tua pectora flammis,
Quas patribus Christus misit ab arce poli;
Cum vebemens subito sonuisset ab æthere flatus,
Fulsissetq̄ omni vertice lingua rubens:
Queisq̄ duo valide fervebant corda virorum,
Quos voluit media Christus adire via,

Mystica

*Mystica Sacrorum referans oracula vatum,
Ore uno & cunctos se cecinisse docens.*

Crede pater, multo gaudent mea viscera motu,

20 *Et letante anima vix mea lingua filet,*

Quòd me non meritum tantò dignaris amore,

Tamq̃ pio affaris carmine, tamq̃ sacro :

Quòd non Afsyrj violatur fluminis undis,

Nec sordescit aquis, turbide Nile, tuis:

Sed liquido potius manat Jordanis, ab amne,

Quo pulcher Christi letificatur ager.

Jam nunc Castalij siccetur fontis arena,

Aoniumq̃ nemus fistula nulla sonet :

Laurus Apollineæ marcescat deniq̃ silva,

30 *Cumq̃ suis baccis alba ligustra cadant :*

Victrices Christi vigeant per secula palma,

Quas olli exultans turba canora dedit :

Paciferos scindens oleæ de vertice ramos,

Atq; sacram sternens veste virente viam,

Qua dominum portans, mansuetæ pullus a sella

Poneret innocos molliter ille pedes.

Si placidi fontis vitalem querimus undam,

En Siloæ nobis vena salubris adest,

Quæ naturales potis est abolere tenebras,

40 *Atq; diem cæcis reddere luminibus.*

Si montes collesq̃ jurvant, sanctiq̃ poëta,

Ecce Sionis apex mœnia sacra feret.

In laudes Christi Thabor exultat, & Hermon,

Aëriis Libanus plaudit & ipse cedris,

Car.

*Carmelus sacer est Eliae fulmine pollens,
Vertice sublimi fert holocausta Dei,
Nomine qui duplici Sina vocitatur & Horeb,
Legiferum nobis monstrat & ipse senem,
Flammea cornuto vibrantem lumina vultu,
50 Gestantemq; sacris jura superna tablis.
Job prius heroo sua carmine bella retexit,
Divina David personat ipse lyra.*

*Quid loquar insigni tumidū Solomona cothur-
Qui thalamos Christi psallit & Ecclesiae? (no,
Hos reverende pater pleno sectemur amore,
Hinc sensus nostri verbaq; cuncta fluant.
Auctorem pia lingua suum canat atq; resultet,
Auctorem proprium mens pia concelebret:
Christicola sermo Christum ciat ore fideli:*

60 *Hoc dignum, hoc justū est, suave, salubre, piū.*

**DREPANIUS AMICO.
PRO SUSCEPTA SUI DEFENSIONE
gratias agit.**

O quam suavis odor vestri de pectoris aula
Exilit, o Christi frater amore potens.
Mulcentur sensus, mulcentur viscera tota,
Oblectatq; omnem caelica vis animum.
Non ita vernali vitis sub sidere fragrat,
Palmitē cū lato gemmeus exit honor:
Nec sic camporum redolet nova gratia, fundens
Candida puniceis lilia mixta rosis:

Hoc

Hoc & florifera vincuntur munera silva,
10 Pomorumq; omnis exuperatur odor.
Diligis & pariter presens, & diligis absens,
Nec variat castum callida fraus animum,
Sive hostes, seu sint chari sine labe sodales:
Nos tua corda foveant, nos tua lingua canit.
Istis grata refers, illos ratione refellis,
Diversisq; armis dimicat unus amor;
Et superat, quoniam verax dilectio victrix,
Semper in aeternum clara trophaea feret.
Solis atra odiis, votisq; actisq; malignis,
20 Turbine precipiti jure ruina venit.
At sincerus amor, ceu lux aeterna coruscat:
Nec cedit tenebris, sed tenebrosa fugat.
Quid? quod crebro etiã mitis pia verba salutis
Pluribus & donis hicq; domiq; oneras?
Hic est verus amor, haec est affectio munda,
Hoc Patris & Christi munus ubiq; pium.
Talia diffundit per mentes dona pudicas,
Sedibus aetheriis spiritus ille fluens.
Antiqui nunc orsa senis juvat ore referre,
30 Lumine qui captus, mente serenus, ait,
Sic mea nunc redolet proles velut inclita rura
Munera divino quæ benedicta cluunt.
Det tibi Cuncti potens caeli de rore salubri,
Pingvibus eq; arvis munera larga satis:
Scilicet egregios aeterni farris acervos,
Exundans oleum, vinaq; pulchra nimis.

His

His verbis persolvo libens tibi, chare patrone,
Perpetuas grates, vota benigna simul.
Nam decet, & pulchrâ prorsus ratione recurrit,
40 Divinis dictis munera dia cani.
Sis felix, captum servans per secula amorem,
Acceptus celfo semper, amice, Deo.

DREPANIUS VULFINO GRAM-
matico Aurelianensi; ut scribat.

Annuus excurrit revolutis mensibus orbis,
Quod tua vox nostris auribus insonuit,
Tâm nitidis chartis, tâm claris culta figuris,
Ut specimen cordis pagina pulchra daret:
Sic liquidas puteus profundit largiter undas,
Et rapidus rapido fervor ab igne salit.
Sic rutilus rutilum vomit & carbunculus igne,
Puraq; fert purus vina venusta calix.
Ex oleæ pulchro pulcher quoq; vertice fructus
10 Carpitur, atq; liquor pulchrior inde fluit:
Sed mihi mellifluum rapuit fors invida carmen,
Et dulcem pateram fregit iniqua manus.
Frigida ceu si quis sitienti pocula demat,
Vel famido gratas vertat ab ore dapes
Proq; dolore venit misero, quod sepe verebar,
Et metus ille meus re manifestus adest.
Conticuit citharæ quondam vox optima nostræ,
Et lyra dulcimodos pressit amica sonos.

Quid

Quid rogo, frater agis tam longa silentia ser-
vans?

- 20 *Quodè tibi nostri tam citò pulsus amor?*
Certè tanta tuæ tam florida carmina Musæ
Haud parva ut pateant indignere mora.
Vix tamen excursos excussit vis tua versus,
Dum volucres apices sic revolare jubes.
Insta igitur captis, & scribe, & scripta reposce:
Sic etenim dulcis crescere suevit amor.
Sermo ligat mentes, permulcet pectora sermo,
Absentes sociat, scissaq; conciliat:
Sic animæ David Jonathæ mēs pulchra cohesit,
30 *Nec patris horrendis de jicienda minis.*
Vox etenim prudēs, ceu fervida succina flagrat,
Et rapit attactu corda modesta suo.
Prome precor solitos mellito gutture cantus,
Et releva rostram dulcis amice sitim.



NOTÆ AD DREP ANI FLORI]

Natione Galli, & Gallis sua inscribentis Poetæ

PSALMUM XXIII.

Vs. *His ego nutritus, semperq; refectus abun-*
dè] Sic maluissimè rescribillare, sed Drepa-
nus quoq; infrà iterùm vocalem ultimam in [abunde
corripuit, nisi sit vocativus, ad Modoinum:
Unde meam recreas Doct̃or abunde sitim.

B

v.9.

v.9. — — *mortisq; tenebras*

Intrepido calcabo pede & mala nulla timebo]

Si copulativa intrudatur, haud opus erit caesurae pallio.

v.11. *Me me quippe tua, pie Rex, correptio virga]* Apud Virgil. quoque illa est pronominis hujus ingeminatio. Et hinc corrige versum 34.

Me me quippe feri quondam liquere parentes.

v. 14. *Quò satur invictas adipiscar pectore vires]* Malim hanc Conjunctionem finalem, sed *Barthius* pronomem:

Quis satur invictas adipiscar pectore vires.
pro *queis* vel *quibus*.

v.18. *Lucifluusq; calix pleno me proluat haustu]*
ex illo *Virgilij Æneid. i. v. 747.* — *hausit*

Spumantem pateram & pleno se proluit auro.
Et *Prudent. pariter l. i. c. Sym. v. 126.*

Atq; avidus vini multo se proluit haustu.

Fortè tamen prima voce legendum: *Largifluusq; calix.*

AD PSALM. XXVI.

v. 3. *Hoc tutore mea munitur deniq; vita]*

Hic propter caulam paulò antè dictam, penthemimerin puta, hisce Poetis valde frequenter producta est syllaba, oblitteratum ergo velim istud &.

v. 9. *Sive ergo castris sedeant, seu praelia tentent,]*
i. e. seu hostes eminus obsidione cingant, seu cominus congregiantur, neutro modo istos timebo.

v. 12.

v. 12. *Quodq; ardens nimio voti fervore re-
quiro*] i.e. quod summo studio & vehementer expe-
to, ut statim v. 18.

Obtectum gratâ nimium confovit in umbrâ.

v. 27. *Quosq; gemens fundo miseratus re-
spice fletus*] ita Barthius quoq; hoc ante nos emen-
daverat, ubi alii habebant *flexus*. Et sic infra Psalmo
XXVII.

*Vocemq; clemens flebilem
Tanto beavit munere.*

v. 36. *Pande mihi rectum perplexa per avia
callem*] idem & iisdem verbis antea in Psalmo 23. di-
xerat: *Iustitia rectos contendam carpere calles,*
Quos mihi dux mentis secreto lumine pandit.

v. 41. *Nil tamen in fontem mendacia vana no-
cebunt*] Barthius l. 44. c. 10. & alibi quoq; è Plauto ob-
servaverat, nocere aliquem, & è Salviano lib. II. de gu-
bernatione Dei ex Psalmo XXXIV. *Judica Domine no-
centes me & expugna expugnantes me.* Item è Victore
Ulticensi lib. II. *Scorpionum feritas virulenta nullum ser-
vorum Christi docetur nocuisse.* Eamq; ad rem lau-
dat idem Barthius & hinc Drepanium.

PSALM. XXVII. v. 28. Dn. Barthius hîc ad mar-
ginem notaverat legendum: *Fraus fraude priva concidat.* Sed respice ad præced. v. 26. *Vitamq; fraudi dedi-
tam C. plectat ultio.* Quare nihil censuram mutan-
dum; sensus enim est, nō modo fraus fraude, sed ad-
eò tota vita fraudulenta concidat & pereat: Sin-
tamen commodius quis putet hîc haberi epitheton,
quàm ἀσύνδετα illa, prætulerim:

B 2

Fraus

Fraus fraude iniqua concidat
ut simul quoq; v. 25. involvatur & quasi recurrat:
Manus iniquis actibus.

AD HYMNUM ANANIÆ &c.

v. 3. *Exaltetq; suum per secula cuncta parentē.]*
E sic etiam infra v. 36. *Laudibus hunc & nos digno ex-*
altemus honore. Non magis enim *exultare* aliquem
dicitur, quàm *resultare laudes* alicujus versu præceda
neo, saltem *resultet & Exultet* non videbantur com-
modè jungenda, quocirca & ibi corrigo:

— *laudansq; resultet.*

Rectius utiq; usurpaverat statim hîc v. 12. quem
vide, sed & v. 38. Hunc ipsa resultet J. n. plebs.

v. 6. *Hunc modulentur aquæ, quas sustinet ar-*
duus æther] Barthius huc laudaverat *Augustinum de*
C. D. libro XI. cap. 34. Quod nonnulli putarint aqua-
rû nomine, inconditione firmamenti discretarum,
Angelorum quodammodo populos significatos.
Unde quoq; hîc sequitur:

v. 7. *Hunc omnis virtus sancto decantet amore]*
intelligit virtutes & potestates inter Angelos.

v. 9. *Hunc Sol ardenti psallat splendore coruscus,*
Hunc gelido fulgens collaudet lumine Luna]
Benè Sol & Luna componuntur, quorum ille pro-
priâ atq; aureâ non argenteâ splendet luce, atq; sum-
mè ardente, cui collata mutuatitia altera Lunæ fri-
gida suo jure dici poterat. Et sic *Dracontius Hexaem.*
de ejusdem Lunæ vicissitudinario lumine:

Mentiturq; diem Lux frigida Solis imago.

Non erit ergo amplius cur *Dno. Barthio* displiceat
hoc

hoc epitheton, quo *lumen gelidum Lunæ* dicitur, sicuti
Dracontio lux ejus frigida.

V. 12. *Discordesq; aure concordi voce resultent*]
vox hîc improprie pro sono & strepitu ventorum
capitur, optat autem ut venti diversi hîc saltem non
sint aduersi, spirent, sed lætitiâ sacra conspirent & ad-
spirent.

V. 19. *Atq; nives denso velantes vellere terras*]
potior & elegantior videtur allegoria, si nivium vel-
lere ceu amictu aliquo terræ dicantur obtectæ & cõ-
fotæ, juxta Psalmistam, quàm si eadem nive di-
cantur circumvallatæ. Hoc enim hostilitatis es-
set, illud ordinatæ tranquillitatis publicæq; utilita-
tis.

V. 22. *Atq; dies varios distingvens luce colores*]
Ex hoc loco alium *Dracontij* primo limine Hexæ-
meri correximus:

*Lux facies rebus, cunctis est lux elementis,
Lux genitis factisq; color.*

Nam & alii pariter Solem seu Lucem dare omnibus
rebus colorem voluerunt, in quibus non insit, sed à
radiis & splendore diei proveniat. Inter quos venu-
stissimè *Hilarius in Genesi* noctem & diem invicem
componit, quarum illa, quæ juxta *Virgil. re b9* omni-
bus aufert colorem,

Det cunctis unam faciem, similemque figuram

Hicq; dies varie rerum discriminet ora

Et det cuiq; suum disjectâ nocte colorem.

Paulinus quoq; VI. Natali non abluit:

Noctis & extremae fugararescentibus umbris

Cæperat ambiguos rerum referare colores.

B 3

Heri-

Hericus Antifiodorensis lib. VI.

Phosphorus ingenuum rebus reparare colorem Gnarus.
V.C. Barthium lib. V. c. 7. & l. IX. c. 9, utrobiq; Drepani-
um laudans ad illud Favonij Eulogij: Color, qui veluti
novus accedit, à plerisq; non naturis corporum, sed lucis
jaëctibus impressionibusq; tribuitur.

v. 23. *Mortalesq; animos terrentia fulgura*
laudent.] non torrentia.

v. 24. *Et nubes largo ditantes ubere terras]*
dum largo imbre hasce rigant, ditem inde procu-
rant annonæ proventum.

v. 25. *Te sator immensas tellus fundata per un-*
das.] Dracontius argutè v. 38. & 39. Hexaemeri:
Sustentant solidam fluidis radicibus undæ,
Quam molles portant ceu fundamenta liquores.

v. 30. *Tum fontes gelido moderantes caumata*
potu] Græcâ voce ad fervores æstivos denotandos,
uti voluit.

v. 34. *Te volucrum dulcis laudet concertus in*
auris] ita Barthius leviter mutaverat pro agris. Nam
in ipsis Sacris Pandectis hîc volucres sub cælo indigi-
tantur.

v. 38. *Innumeris recinat lingvis, hunc ipsa resultet*
Israëliarum nimum plebs cara Tonanti.]

Hîc iterum resultet & recinat ejusdem sunt valoris.
Et quamvis non adeò Latinè resultare aliquem pu-
tem dictum; Dn. Barthius tamen à Martiano Capella
principio librorû suorû nuptias resultare pro resona-
re & succinere & iterum: idq; triviatim dissularet hu-
manitas, hoc est, rumorib; atq; canticis differret, di-
cit

cit usurpatum lib. 8. c. 23. Infra quoq; Drepanius ad Modoinum :

Auctorem pia lingua suum canat atq; resultet.

v. 44. *Spiritus hunc animæq; ciant per secula
piorum.]* Videtur animas à corpore separatas per tot
secula intelligere, Quos spiritus ut ab omni mole li-
beratos hîc contra legem pediam corripuit.

v. 57. *Egressi in laudes veri, domuere profana*

Ora, Dei, quem pallenti mirantia vultu

Horrore ingenti tremuerunt Barbara corda.]

Eo pacto sua hisce versiculis reparata est integritas,
quæ prius corrupta videbatur, cum *psallenti* hîc lege-
retur, quod & *Dn. Barthius* in *pallenti* observârat de-
mutandum. Nisi quis malit, quem, *psallentes miran-
tia vultus, Horrore ingenti tremuerunt barbara corda.*

v. 67. & ult. *Extollit, metuit, celebrat, benedi-
cit, adorat.]* præferebat hoc *Dng. Barthius* alteri illi
clamat, quod tamen non planè videtur respuendum.

IN HYMNO AD MICHAELEM]

Longè ante apparitiones agi consuevisse Romæ
solennitatem S. Michaelis Archangeli, Drepanius
Florus vetustissimus Poetarum Christianorum his
versibus scripsit, quos *BARON. Martyrol. Notis. d. 8.
Maij* quoq; laudavit :

v. 5. *Dignatus Petri Pauliq; in visere sedem,*

Imperiumq; fovens, inclyta Roma, tuum.]

Ex hoc disticho *C. Barthig* collegit, non adeò seqvio-
rum hunc auctorem esse seculorum, sed florentis
adhuc Romæ. Verùm & posteriores sæpe limina Apo-
stolorum *Dd. Petri & Pauli* salutare dixerant.

B 7

v. 7. *Qui*

v.7. *Qui proceres inter primordia luce coruscos
Egregio vultu splenduit, Orbe novo.]*

Istâ quidem facie Dng. Barthius ad marginem restitu-
erat & castigaverat mendosas voces, eo quod de
mundo recens - condito loquatur hic Drepanius: sed
præterquam quod haud careât *ταυτολογία*, si Orbe no-
vo & inter primordia, mundi scilicet, statim ponatur,
nō videntur hæc rectè cōjungi, nā inter proceres co-
ruscos splēduit Michael, atq; sic *ἰὸ primordia* nuspiã
regeretur. Verum enimverò cum plerorumq; Pa-
trum & Theologorum sit traditio, Angelos cum lu-
ce primigeniã fuisse primo statim die creatos; quo-
circa nullus dubito, quin ea hîc olim fuerit scriptu-
ra:

Qui proceres inter primævâ luce coruscos &c.

v. II. *Hic vati eximio placidi Jordanis ad undam
Se castris Domini prodidit esse Ducem.]* Josuæ
sc. cujus gesta videsis cap. V. 13.

v. 17. *Hunc Gabriel solum auxilium sibi ferre fa-
retur] Danieli, cap. X. suæ prophetiæ, v. 13. & 22. cum
per tres septimanas temperanter sine vino & nitido
cibo vixisset, i.e. jejunasset, quare Drepanius hîc v. 20.
impastum eum vocavit.*

v. 21. *Hunc oculis mentis inter myrteta beatus
Zebeides roseo sidere vidit equo] Correxerat
hoc pacto Dng. Barthius S. Joannem Evangelistam &
Apostolum in Apocalypsi innui sentiens: cui neq;
quoad rem assentimur, manifeste enim aliud sequē-
tia evincunt disticha; nec quoad verba: nollemus
enim tam audacter illa planè esse & quidem lon-
ge petitâ literarum omnium (excepta prima & ul-
tima*

tima

tima consonâ) violenta immutatione castigata;
quamobrem bonâ ipsius cum venia nihil mutandū
cēsemus: Loquitur enim de *Propheta Zacharia*, cujus
si evolvisset vaticiniū, in fronte statim hæc ipsa re-
perisset cap. i. v. 8. 9. 10. Quam optimè verò idem *Dn̄g.*
Barthius l. 48. c. 5. *oculos mentis* esse dicit acumen il-
lud animæ, quod veritatem videt cælestē, terrestria
autem deliria contemnit omnia & conculcat. *Mani-*
lius quàmlibet *Paganus* l. 4. *Astronomici*:

Quosq; dedit Natura, oculos deponere mentis.

Faustus Rejensis vocavit *oculos interioris hominis* epist.
7. *Eligius* homil. *Sedulius* ad *Macedonium* & *Rurici-*
us l. & epist. i. *oculos cordis*, *Adrevaldus* *spirituales*, *Gil-*
das *oculos animæ*. *Paulinus* panegyrico *Celsi*:

Ergo oculos mentis Christo referemus & aures.

Plures vide ibidem.

v. 34. *Datq; illi, eterno jam sit ut aula DEO]*
iterum *C. Barthius*, quia loco prædicto *Zach.* prædi-
ctum fuerat, quod *Hierosolymis* domus *Domini*
rursus debeat extrui.

v. 36. *Quam tātus numerus hominumq; gregumq;*
Nullius ut muri cingier orbe queat.] (replebit,
Zacharia II. v. 4. Et sic

v. 38. *Sed Deus hanc ignis jugi munimine cinget]*
ibid. v. 5.

v. 40. *Hic sub fine etiam cum serpens ille vetustus*
Intulerit Christo prælia cassa Deo.]

Hoc ipsum *Michaelis* prælium cum *Dracone* require
jam è cap. XII. *Apocalyps.* S. *Johannis* à v. 7. 8. 9. 10.

B 5

DE

DE CEREO PASCHALI.] Quod *car-*
men D. Barthius l. 53. c. 12. plane iudicabat esse *eximi-*
um, grave, Latinum, adeoq; Romanum, ut pauca illi et-
iam maximè nobilium Christianorum conferri poemata
possint. Notavit autem *Honorius Augustodunensis* in tali
cereo scribi annum Domini, eumq; portari ante ne-
ophytos ad Baptismum, quia columna ignis præla-
ta fuisset populo ad mare rubrum, præfigurans ba-
ptismum; illumq; cereum in octavo paschæ populo
distributum, quia Christus in resurrectione ultima
fidelibus in præmio sit tribuendus. V. & *Prudentius*
Cathemer. hymno 5. ad incensum cerei, & *B. Ennodius*
in Cerei istiusmodi benedictione.

V. I. *Alme Deus rerum, cæli custodia, cujus*
Legibus aternis, vertigine concita jugi
Volvitur immensi socialis machina mundi.]

Barthius l. 56. c. 1. *Socialem machinam* appellari dicit
Universum ipsum, de quo etiam *Claudianus* in IV.
consulatum v. 285.

Nonne vides operum quæ se pulcerrimus ipse
Mundus amore liget.

V. 4. *Te cælum & quicquid cæli tegit aureus umbo,]*
qui cum aliâs quodvis rotundum sit, clypeum ple-
runq; sonat Poetis: ut *Lucano* l. 3. *galeamq; extensus pro-*
tegit umbo. & *Petronio*:

Hæret detritus lævæ Mavortius umbo.
inde hîc *cæli umbo*, qui veluti clypeus quidem ambi-
at & tegat omnia: *Barthius* l. 36. c. 15.

V. 7. — — *Te quattuor anni*
Tempora, transcursis in se redeuntia rivis.]

Ver

Ver dicit æstatem autumnum & hyemem in se quasi abire & in sua reverti initia. Qua de re Columbanus:

Ver, æstas, autumnus, hyems, redit annus in annum.

Et alter Paulinus Eucharistico: *Lapsi qui tēporis annos*

Instaurando novas, cursu revolubilis ævi.

Hoc est, ut currere solemni cursu solet ævum revolvi sicutum. *Barthig l. 19. c. 8.* qui addit, temporis aut anni effigiem fictam ab antiquis figurâ Draconis, caudam suam deglutientis. Et hinc apud *Fulgentium*

1. Mytholog. Saturnus falcem etiam fert non immeritò, quod omne tempus in se vergat, ut curvamina falcium.

Virgil. 2. Georg. — Redit agricolis labor actus in orbem,

Atq; in se sua per vestigia volvitur annus.

V. 13. *Te muti pisces, te virosi serpentes.*] divinum hunc versum agebat *Barthius*, credo quod usq; adeo benè pisces & serpentes, illos quidem mutos, & hos veneno suo necis artifices, utrinque silentium quasi quoddam & tarditatem ingerentes expressisset.

V. 17. *Adspice constrictam tanta in mysteria plebem*] i. e. numerosam plebis multitudinem, quæ in locum templi pro copiis istis angustum coarctata quasi esset & compressa.

V. 19. *Non sic Idæis simulantur Dindyma Gallis:*] i. e. exfectis illis Cybeles sacerdotibus non tanto ardore in Troade celebratur Megalesia. V. *Prud. c. Sym.*

V. 20. *Attica nec Grajis nuribus vigilatur Eleusis.*] Nec Athenis Eleusinia Cereris Sacra à sexu foemineo tanta alacritate pervigilantur.

V. 21. *Orgia Thebanus vel agit nocturna Cithæron.*] Nec Bacchi sacra in Bœotia tam studiosè peraguntur. V. *Ovid. 3. Metam.*

Vadit

Vadit ubi electus facienda ad sacra Citharon
Cantibus & clara Bacchantum voce sonabat.

v. 22. Nil habet insanum strepitu, nil thure va-
porum] Scilicet ut in Orgiis & magnæ Matris sacris.
Videbatur non nemini vaporum hîc adjective sumi,
ut odorum, & sicuti reliqua illud in medio utrinque
cingentia essent, ceu insanum strepitu, sanguine ma-
didum, cursibus immoderatum, ita & thure vaporum i. e.
vaporatum vel odorum diceretur: potest tamen &
genitivus pluralis esse, nil vaporum thure seu de ture.
Ennodius l. c. Non enim hîc thuricremis Pancheus ado-
letur ignis altaribus, non ad triste ministerium extremum
mugiens bos percussa litatur, non bidentum fœtus carni fi-
cis potius, quàm sacerdotis mucro destruit.

v. 24. Nox sacris operanda tuis, tantum prece
pura] Noctem illam, quæ diem resurrectionis Domi-
nicæ antecedebat, insomnè traducebant religionis,
non superstitionis gratiâ veteres Christiani utriusq;
sexus. Id quod ex Lactantio colligitur & Tertulliano,
quorum iste sic inquit de fœmina Christiana mari-
to ethnico nuptâ: Quis solemnibus paschæ abnoctantē
securus sustinebit? D. Siberus ad Prudent. ubi cereum
istum propterea vesperâ tum ad prohibendas tene-
bras fuisse accensum addidit. Quare sequitur:

v. 31. Hunc ut per totam possimus dicere noctem,
Inferimus claros sanctis altaribus ignes.
Qua de re Ennodius l. cit. In hujus tibi Domine sanctis-
simæ noctis ministerio hoc cereum lumen offerimus, per
quod caligo vetusta pellatur, in quo species trino compagi-
nata confortio, societatis propemodum mysticæ glutino
conjungatur. Quarum ceram paravit nectareis par-
tibus

tubus foeta virginitas, papyrum ad alimenta ignium lym-
phatrans misit, lumē adhibetur è cælo. Quibus verbis il-
lustrantur etiam v. 33. & 34. eosq; ita simul emenda-
mus:

Restibus innumeris tereti circumflua gyro,

Æquoream cohibet formatrix cera papyrum.

Quas Drepanij restes, Prudētius hymno V. ita extulit:

Quin & fila favis scirpea floribus

Presso melle prius conlita fingimus.

Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

è quo ultimo versiculo liquebit & nostri

v. 37. *Uberrat stuppas*] cætera sc. turba pervi-
gilantium ad tenebras lumine attenuandas, sebo vel
pingvi aliquo stuppas amicit. non admodum tamen
placet verbum illud *uberrat*, nam si ab ubere esset, *u-
berat* dicendum foret, nec illud quoq; activè dicere-
tur; nisi sit ab *ubertum*, quò Gellium volunt usum.

v. 39. *Æmula sidereis vigilent funalia flāmis.*]

Ad hunc l. scribit *Barthius* l. 35. c. 16. Administrationi
sacrorum ideo faces adhibebant veteres Christiani,
ut cœlum crebris stellis micans imitarentur. V. quæ
ad lib. 2. *Corippi* notavi.

v. 42. — *Gens nulla nivali*

Usq; adeo subjecta polo est, quam frigore pigrā

Sidus & æternæ premat inclementia brumæ.]

Divinos prorsus hosce versiculos statuit *Barthius*, at-
que idem lib. VIII. c. 3. *Sidus* hîc voluit signare rigo-
rem ut apud *Claudianum* in IV. consulat. (*orbem*

v. 45. *Quæ te Chryste, neget, rutilū quā flāmeus*

Sol agit, occidui quā meta secunda diei est,

Et qua prima patet reditura janua lucis.]

Ut

Ut in prægressis tribus dixerat de solis septentrionalibus populis, ita in hisce tribus de meridionalibus, occidentalibus & orientalibus.

DREPANIUS MODUINO AUGUSTODUNENSIS EPISCOPO.] *Barthius* hoc carmen omninò ali-
us auctoris esse icitabatur, V. lib. VIII. Advers. c. 3. sic
Eundem quoq; Consule *Barthium* l. 53. c. 12.

V. 7. — — *traxisti in pectora flatum,*
Unde modo suavis balat & almus odor.] ineptè
prius & semisolacè *flatum unde afflat odor* scriptum
ruerat.

V. 8. *Hausisti placidas Jesu de fontibus undas,*
Unde meam recreas, Doctor abunde, sitim.]
Barthius l. 58. c. 4. Sic distingvens videtur innuere, *a-*
bunde nō adverbialiter, sed nominaliter hīc usurpari.

V. 14. *Quæisq; (flammis) duo validè fervebant*
corda virorum,

Quos voluit mediâ Christus adire viâ.]
Sic enim ipsimet inter se apud Evangelistam *Lu-*
cam capite ultimo exclamabant: *ἔχι ἡ καρδία ἡμῶν*
κακομύνη ἦν ἐν ἡμῖν, ὡς ἐλάλει ἡμῖν τὰς γραφάς. Un-
de noster addit:

Mystica sacrorum referans oracula Vatum,

Ore uno & cunctos se cecinisse docens.] *Ibid.* v. 27.

V. 22. *Quod non Assyrj violatur fluminis undis*
Nec sordescit aquis, turbide Nile, tuis.] i. e. Carmen
quod nec Assyriorum idololatriâ, nec Ægyptiorum
superstitione infectum est. *Tametsi* namq; & hīc
lutulenta essent *aqua & perturbata* (quod *Vives de Ju-*
venco & Sedulio Poetisq; aliis Christianis pronuncia-
verat)

verat) *Saluberrimas tamen suas esse negare non potuit.*

v.13. *Victrices Christi vigeant per secula palmae]*
Theodulph. Aurelianensis:

Plebs Ebraea tibi cum palmis obvia venit.

Hildeburtus Cenomanensis serm. V. Ramo palmarum signa victoriae sunt. Venienti ergo Salvatori pueri cum palmarum ramis occurrisse memoratur: quia ventulo ad iudicium Christo egressi fideles de sepulcris vitiorum victores apparere praemonentur. V. & Barthius l. 21, c. 12. qui victores Olympiacos quadrigis Patriam in vectos cum corona & palma dicit, unde Martiali palma tantundem est, quantum victoria:

Cedere majori virtutis fama secunda est,

Illam gravem palmam est, quam minor hostis habet.

Meritò verò insigne victoriae ea arbor est, quae folia sua absq; ulla successione semper conservet vel Isidoro teste lib. XIII Orig. c. 7. Et de hac Salvatoris processione quoq; Mantuanus l. 2. Fastorum v. 53. cecinit.

Sexta ciet pompam & cum viridantis olivae

Frondeb; & palmis simulat fallacia quadam

Gaudia laetitiae, brevem mutabilis umbram.

v.32. *Paciferos scindens oleae de vertice ramos]*
Prudentio Bacca alumna pacis, oliva est, insigne pacis.
Virgil. 2. Georg.

Et placidam paci nutritor olivam. item VIII. Aen. v. 116.

Paciferaq; manu ramum prae tendit oliva.

Et Ovid. 1. pont. 1. Pacat a ramis oliva & 6. metamorph.

Circuit extremas oleis pacalib; oras. Et Prudent.

peristeph. VII. 55. Verticem flavis oleis revincta Pacis honore. Non ideo autem est arbor pacifera olea, quia
semper

semper viret, quæ ratio in palma quidem valuit, at
eadem hîc valere nequit; sed quia oleum pacis arti-
bus & lucubrationib9 idoneum est & intervîit, unde
& *Palladia arbor oliva*, & Pallas accipi solet pro ipso
oleo Ovid. IV. Trist. 5.

*Anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil infusâ Pallade flamma solet.*

v. 33. *Atq; sacram sternens veste nitente viam]*
Turba scil. De qua & Juvenus l. 5. histor. Evang. v.
337. *Tum populi stratas prætexunt vestibus omnes
Quaq; iter est Christo, subnexâ fronde coronant.
Proxima tunc alijs spoliant palmeta virore &c.*

Ejusq; rei rationem reddit Drepanius

v. 34. *Qua dominum portat mansuetæ pullus asellæ,
Poneret innocuos molliter ille pedes.*

v. 43. *Aeris Libanus plaudit & ipse cedris]* Le-
viter transposuit D. Barthius l. 35. c. 19. in fine, addens:
cedri monte Libano petebatur, ut meminerunt & li-
teræ sacræ. Unde *Libana* dicitur Sedulio l. 3. Hodie
tamé in eo monte paucas esse scribunt, qui viderunt.
Quam optimè vero Poetis Christianis mons Liba-
nus præ Parnasso videtur expetendus, quod cedrina
carmina cupiant scribere, nūquam peritura, de qui-
bus V. *Persius*.

v. 44. *Carmelus sacer est & Eliæ fulmine pollens]*
Sic iterum Barthius ad marg. alleverat. V. Historiam
Eliæ. IV. Regum I.

v. 46. *Nomine qui duplici Sinai vocitatur & Horeb
Legiferum nobis monstrat & ipse senem]*

Sina mandatum interpretatur Tom. XI. Biblioth. pag.
149. f. Ergò benè Legiferum senem Moysen nobis
mon-

monstrat, quem & ipsum, cur feratur *cornutus*, explicat sequenti

v. 48. *Flammea cornuti vibrantem lumina vultu*

Gestantemq; sacris jura super tabulis.]

Ita *Barthius* quoq; castigaverat.

v. 50. *Job pius heroosua carmine bella retexit]*

id sanè epitheton respondet *Hiobo* & melius quam adverbium prius. (*cothurno*,

v. 52. *Quid loquar insigni tumidum Salomona*

Qui thalamos Christi psallit & Ecclesiae?]

Quamvis *Cothurnus* Tragædiæ magis, quàm Epithalamio conveniat, attamen hîc pro stylo poetico & altiore saltem accipitur: nisi potiùs insigni cothurno tumidum simpliciter exponas Regem, prout Regum & Heroum calceamenta antiquitus erant cothurni, unde *Corippus* de *Justino*:

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno.

Barth. l. 35. c. 19.

v. 54. *Hos reverende Pater pleno sectemur amore.]* non sectentur, ut respondeat illi v. 55. *Hinc sensus nostri verbaq; cuncta fluant!*

v. 58. *Christicola sermo Christum ciat ore fideli:*

*Hoc dignum hoc justum est, suave, salubre,
pium.]*

Non in *Missa* saltem, sed & in aliis sacris conventibus solenne Christianorum erat, acclamare illud: *dignum & justum est*, cum assensum suum multitudo vellet significare. Ut apud *Augustinum* quoq; in denominatione *Eradii* successoris. *V. N. ad Hildeb. Cenom. Epist. IX. p. 23.*

C

DRE.

DREPANIUS PRO SUSCEPTA SVI
DEFENSIONE.

v. 5. *Non ita vernali vitis sub sidere flagrat,
Palmitē cum lato gemmeus exit honor.]*

V.N. ad Dracontium & Pervigilium Ven. p. 14.

v. 7. *Nec sic camporum redolet nova gratia.]*
Genes. XXVII, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui
benedixit Dominus. Vide v. 30. paulò post.

v. 10. *Pomorumq; omnis exsuperatur odor.]*
Martialis inter optimos odores.

v. 12. *Nec variat castum callida fraus animum]*
Castum, incorruptum, non adulteratum, constantem.

v. 30. *Antiqui nunc orsa Senis iuvat orsa referre,
Lumine qui captus mente serenus ait.]*

Amicus noster vetus perperam hinc Tobiam putabat
innui, cum sit Isaacus, quod sequentia quoque robo-
rant carmina è jam laudato cap. XXVII. Genesios ex-
pressa.

N.B.

Sub finem hujus Elegiæ subiciebatur majusculis:

VERSUUM NUMERUS XLII. & fine sequentis
& ultimæ Elegiæ: V.N. XXXIV.

Atq; tot etiam utrobiq; erant, quot fuerant sub-
signati.

DREPANIUS WULFINO Grammatico Aurelia-
nensi,] Magistro & literas docenti.

v. 7. *Sic rutilus rutilum vomitat carbunculus
ignem.]* aliquoties hinc unum epitheton sed repeti-
tum duabus rebus tribuit, ut *rapidus fervor rapido i-
gne, pura vina puru calix, fructus pulcher pulchro vertice.*

Est

Est autem vomitare crebrò vomere vel magna copia fundere. *Pedo Albinovanus* obitu *Mecenatis*:

Vincit Berillus arenas,

Littore in extremo quas simul unda vomit.

Prudent. Hippolyti passione:

Urbs augusta suos vomit effunditve Quirites.

Dracontius Hexaem. v. 137. Ipsa dies folium ramis & floribus herbas Evomit.

v. 14. *Vel famido si quis vertat ab ore dapes.]*
famelico, nam & sitientem seu sitibundum præceda-
neo versu posuerat.

v. 21. *Certe tanta tuæ tam florida carmina Muse*
Haut tanta ut placeant indignere mora]
Quæ nostra castigatio, superioribus nixa repetitioni-
bus epithetorum, sensui erit aptiori commodior, cui
vetus lectio refragabatur. Atq; inde porro scribo:

v. 23. *Vix tamen excussos excussit vis tua versus*
Dum volucres apices nec revolare jubes
Insta igitur cæptis, & scribe, & scripta reposce;
Sic etenim dulcis crescere sœvit amor.

Reprehendit enim quod non citò respondeat, jubet
ergo, ut instet & foveat amorem mutuum literis fe-
stinantibus, quas *volucres apices* vocat. *V. N. ad Hil-*
debert. Cenom.



SEQUUNTUR

THEODULPHI AURELII EPISC.
ELEGIÆ EPISTOLARES.



C 2

THEO-

THEODVLPH. AIGVLFO ARCHIEPISC.S.

HOC Aigulfe, tibi, Præsul sanctissime mitto,
 Theudulphus carmen, exul ab exilio,
 Nobilis & pulcræ fueras puer indolis olim,
 Nunc vir es ornatus nobilitatis ope.

5 Quæ fuit in puero docilis solertia paruo,
 Nunc manet in magno, dante Tonante, viro:
 Signa puer magnæ semper virtutis habebas
 Magna, docens magnum te fore sorte virum.

Sic sata promittunt fœcundæ præxia messis,
 10 Sic tauri in vitulo forma patet tenero.
 Artes ingenuas studium tibi discere tandem
 Exstitit & cultum pectus habere satis.

At nunc divini tibi tradere dogmata verbi
 Est labor, & populis iura referre poli.

Qui tunc Grammatico sumebas pocula fonte,
 Ambrosio mentes nunc benè rore rigas.

Vivere te sanctè, rumor dispergit ubiq;
 Magna per ora virum sat tua fama volat.

Cuncta quis expediet laudis præconia vesira,
 20 Quæ Syptegaudus iste referre solet.

Syptegaudus, ubi probitas, verumq; fidesq;
 Et bona cuncta simul consociata manent.

Hunc Deus & probitas vitæ atq; electio fratrum,
 Prætulerat Sancto, me mediante, gregi.

25 Sed male livor edax, dolus & pellacia fallax
 Præsulis à propria sede removit eum.

Ast est in cælo, proprio hunc qui reddet ovili,
 Cura sit ut proprij, quæ fuit antè, gregis.

Hic de parte tulit vestra mihi verba benigna

30 Et mihi præsentem te dedit ore suo.

Dum bona vestra mihi narrat, me præfovet ægrum
 Actibus eq; tuis mens mea leta manet.

Hic

Hic vice res audet à nobis querere quasdam
Vestrâ, & responsum quod tibi portet, habet.
35 Rettulit ille mihi studiumq; decusq; modumq;
Quo vehis officij pondera digna tui:
Qualiter exemplis & verbis ferre ducatum
Non cessas populis ad pia regna poli.
Et bona magna gerens, ut agas majora precamur
40 Poscimus, optatam det tibi Christus opem.
Sunt exempla tibi Patrum sectanda priorum,
A te ut, qui caput es, per pia membra meent.
Es Patriarchali primæ prælatus honore
Sedis, & alma Patrum est subdita turba tibi.
45 Inde manere tibi puro solertia debet,
Omnibus ut specimen sis, decus, ordo, modus.
Quo magis es celsus, humilis magis esse memento,
Gratia te altithroni ditet ut alma Dei
Esto bonis agnus, leo fervidus esto malignis:
50 Pars amet ista patrem, ut illa pavescat herum.
Cumq; piis fueris pius & districtus acerbis,
Te pars hæc matrem sentiat, illa patrem.
Sit tibi larga manus, placidum cor, dulcia verba,
Sis probus & solers, promptus ad omne bonum.
55 Sed quid ago, quo nunc memet mea fistula ducit?
Doctori similis sum modò factus ego.
Deprecor interea nostræ memor esto ruinae,
Oratu & precibus fors mala nostra leves.
Forsan te orante fratrumq; juvante caterva,
60 Omnipotens veniam det miserando mihi.
Et nos exilio relevet miseratus ab isto:
Joseph qui exemit carcere, quiq; Petrum.
Ipse DEO fateor peccamina multa peregi,
Quæ superant numero temet, arena maris.

65 Et pluvia guttas, maris undas, sidere cœli,
Herbarum fruges, germina cuncta soli.
Hæc sunt, ærumnas ego sim cur missus ad istas;
Esse nec ut debent, sunt mala tanta mihi.
Non Regi aut proli, non ejus, crede, jugali
70 Peccavi, ut meritis hæc mala tanta veham.
Crede meis verbis, frater sanctissime, crede,
Me objecti haud quaquam criminis esse reum.
Perderet ut Sceptrum, vitam, propriumq; Patronum
Hæc tria sum nunquam consiliatus ego.
75 Addimus & quartum: Mibi non fuit illa voluntas
Ulcung; ut rerum hæc mala tanta forent.
Hoc ego clamavi, clamo, clamabo per ævum,
Hæc animæ donec membra liquor vegetat.
Qui modo non credit, cogetur credere tandem,
80 Ventum erit ut magni judicis ante thronum;
Qui mihi testis erit pius & justissimus ultor,
Omnia cui semper nuda & aperta manent,
Qui non acceptat personas, munera sive,
Diligit æquè æquum, diligit omne bonum.
85 Ejus in aspectu falsissima cuncta peribunt:
Hic meus alterius non ope testis eger.
Me, tua, care, fovet dulcis compassio, frater,
Tristitiæ q; meæ pars tibi magna manet.
Det Pater altithronus, cœlum terramq; gubernans,
90 Letitiæ nostræ postmodò compos eas.
Te scio, cunctorum redimitum flore bonorum,
Lampade virtutum ceu rutilare satis.
Sit tibi vita, salus & Christi gratia Regis,
Exstet & Omnipotens fautor ubiq; tibi.
95 Vive Deo felix per tempora longa, Sacerdos,
Deq; bono in melius profice ritè, vale.

THEO.

THEODULPHUS MODOINO

SVO salutem de suo exilio.

Hoc, MODOINE, Tibi Theodulpho dirigit exul
Summo Pontificum cernuus ecce melos!
Ito Thalia celer, celeri transcurrere volatu
Nec mora, nec tibi sit ulla in eundo quies.
5 Donec pervenias Modoini ad tecta beati,
Præsulis eximij, Pontificisq; piij.
Ad quem mox venies, genibus revoluta jacebis,
Jusserit & si te surgere, surge celer.
Basia confestim manibus donabis amicis,
10 Et spectans patulam, fessa jacebis, humum.
At si te rogetet, quæsis, & cujus, & unde?
Fare age, prome animo singula dicta tuo.
Sû Theodulphi Erato, veniens de carceris antro
Ejus, ubi immensus hunc tuus urit amor.
15 Exul, inops, pauper, tristissimus, anxius, æger,
Spretus & abjectus est ubi, sicq; dolens.
Forsan & ipse roget, quid agam? me vivere di-
Vità, qua melior mors bona sorte foret. (ces
Haud legit, haud docet, haud laudum pia munia
20 Cuncti patri Dno, qui regit arva polùm. (cõplet
Hunc pro se poscit, pro te, proq; ordine Cleri,
Pro populi & Regis, proq; Salute Ducum.
Me tibi transmisit, hujus tibi dico salutem,
Subdita sunt cujus verba canenda tibi.
25 Obscuro, Frater amans, nostri mēor esse memēto,
Frater amans, animi portio magna mei.

Mens tua semper erit nostros miserata labores,
Nota tibi nostra quod bene causa rei. (borē;
Quo magè res nota est, magis inde adhibeto la-
30 Sic medicus morbum dum videt, arte fugat.
Fume a presentis pereunt, scis, gaudia mundi,
Nunquam fraternus sed perit almus amor.
Me modo pluris amas, quanquã me sepe amasti,
Ægrum aliis natum plus pia mater amat.
35 Fessis opto libens certa succurrere rebus
Et fratrum mentes sollicitat opias.
Unus ego quamvis sim, non est unius hæc res
Quod factum est mihi met, esse potest alijs.
Est commune malum; comunis cura petenda est,
40 Quod nostrum est hodie, eras erit alterius.
Hæc non quis frater timeat contagia demens?
Ne illi, quæ nobis, ingruat ista tuæ?
Febre solet febris ceu vulnere crescere vulnus:
Sic nulla ex uno fonte fluentia fluunt.
45 Nacta me hæc placida fuerit si plaga medellæ,
Pristinus & veniat morbo abeunte vigor.
Tale quid ulterius non pars inimica valebit
Appetere, & scelus hoc non leve prorsus erit.
Servus habet propriam & mendax ancillula le-
50 Ulpilio, pistor, nauta, subulcus, arans. (gem,
Proh dolor, amisit hanc solus Episcopus, ordo
Qui labefactatur nunc sine lege sua.
Debuit & qui aliis legalia promere jura,
Officij perdit jus sine jure sui.

Culpa

55 Culpa facit scævum confessa perire latronem,
Non est confessus Præsul & ecce perit.

Cumq; suis egeant mundana negotiis rebus,
Causa quibus justum possit habere modum,
Nostra eguit justo rationis pondere causa,
60 Scævitia excepta nullum habet ista modum.

Non ibi testis inest, iudex nec idoneus ullus,
Non aliquod crimen ipse ego fassus eram.

Esto: forem fassus, cuius censura valeret
Dedere iudicij congrua frenam mihi?

65 ILLUD SOLIUS ROMANI PRÆSULIS ESSET,
Cuius ego accepim pallia sancta manu.



Mittere, care mihi libuit tibi carmina quædam,
Nostra quibus lusit Musa jocosa parum.

Tempore præterea hoc quædam miracula visa

70 Dicuntur, breviter hæc quibus ista canam.

Est fluvius, SARTAM GALLI dixere priores
Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.

Fluctibus ille suis penetrans Cenomanica rura,
Mœnia qui propter illius urbis abit.

75 Quod cives transire solent prope lintribus illum,
Illic portentum non leve fecit eis.

Deniq; roscidulas tenebras cum aurora fugaret
Et solito peterent more fluenta homines,

Est propriis spoliatus aquis locus ille repertus,

80 Qui rate seu remis pervius ante fuit.

Stantibus atq; undis populus hinc inde stupebat.

Alveus & plebem ad inferiora vocat.

C 5

Nemo

Nemo ratem querit, nullus te, navita, poscit;
Miranti populo sic stat aperta via.
85 Et metus atq; rei novitas intrare vetabat
Primitus, at sensim cepit abire metus.
Incipit esse vetus nova res, intratur utrinq;
Alter utram ripam plebs petit atq; pecus.
Velpes siccus eis, mo diucum vel planta madescit,
90 Dum gradiens populus itq; reditq; frequens.
Tale vadum juvenis si olim Leandrus haberet,
Non foret insignis tam tibi luctus, Ero,
Non ad piscandum quisquam fert rete vel hamum,
Saltibus atq; manu, qui volet, illud agit.
95 Vir tumultandus erat ripa ulterioris in agro,
Flentibus invehitur per loca sicca suis.
Illa sat urbs timuit, peteret ne se unda tumescens
Obrueretq; simul c ompta, rura, domos.
Saxa patent ignota polo, polus ipse patescit
100 Saxis, cum proprium linqueret humor humum.
Quae vada nulla dabas pediti illic, Sarta, dedisti,
Grande vadum, caligas cum tua saxa stupent.
Sarta aliis vicibus hoc ipsum est passa duabus,
Nec hoc, nec procul hoc tempore sive loco.
105 Quis neget antiqui mecum meminisse tropaei,
Quo fluvium scindit & Jerichunta quatit.
A prima in quartam modus hic deflexerat horam,
Inde suas repetit post celer unda vias.
Nomina non ideo narrantum scripsimus isthic,
110 Sunt quoniam plures, qui cecinere mihi.
At si nosse rei vis lector tempora gesta,
Accipe, promemus sub brevitate tibi.

Eorsan

Forsan nosse diem vis, hunc quoq; disce, canemus,
Ut res ambigui possit habere nihil.
115 Bis partem undenam solidi rota Solis Aquarū
Scanderat, in sexta Lunag; piscis erat
Tale quod asseverant flumen idonea passum
Ad quod ab urbe fluens sat prope Sarta bibit.
Quere locum ex aliis, dei tibi tempora dicam,
120 Crastina presatae res fuit ista rei.
Hunc quoq; defectum quod passa sit Angera dicunt,
Sed locus atq; dies sunt mihi nota minus.
Non grandi studio perquirimus ista, quod illi,
Qui narrant, per me nosse futura volunt.
125 Non id Aperta canit, nec erit vox semper aperta,
Tempore namq; manent ista canenda suo.
Rebus & exemplis quaedam bene nosse valemus
Cum non divinem, nec scio, res quid agat.
Mirag; sunt tempus per idem quam plurima visa,
130 Hoc etiam visum est, quod recitare paro.
Quod mihi Gerhardus retulit, Paschasius illi,
Hic audita mihi, visa sed ille refert.
Nempe Tolosani locus est, rurisq; Cadurci
Extimus hoc finit pagus uterq; loco.
135 Illi campus inest, cuius sunt extima sylvis.
Cincta, hominesq; manent non satis inde procul:
Quem volucres magno complerunt impete multae,
Planitie inq; ejus multa resedit avis.
Quas fluvius, vel habet nemus & quas squalida tellus
140 Quae scopulis nidos composuisse solent
Quaeis cibus est varius, cantus, color atq; volatus,
Penna, unguis, rostrum, mos, locus, officium.
Nam Zephyrus sparsas Aquilove adduxerat illas,
Partem & utramq; putes signa habuisse sua.

Se-

145 Sederunt campis acies altrinsecus illis,
 Et spacium extabat inter utraq; aliquod.
 Inter utramq; aciem legatos ire putares,
 Qui pugnae aut pacis iura referre parent.
 Interea volucres paucae ex utraq; volabant
 150 Parte, vices complent ista vel illa suas.
 Egerit illa nihil quod tunc legatio pacis,
 Sorte patet post hanc grandia bella cient.
 Utq; diu Pœnos inter populumq; Quiritum
 Currunt legati, donec in arma ruant;
 155 Haud secus inter eas, postquam sat utring; volatum est,
 Vi qua quaq; valet in fera bella ruunt.
 Ardent ad pugnam volucrum hinc, inde manipuli,
 Cumq; ala, ala coit, cumq; cohorte cohors,
 Vis est militiae diversa, sed una voluntas,
 160 Quod major miles, vult quoq; parvus idem.
 Nullum opus, aut currus nullum aut habet usq; equorum,
 Usus abest chalybis, spicula nulla volant.
 Pro galea crista est, pro cuspide rostra vel ungues,
 Et sua pro lituis carmina quaq; sonant.
 165 Ala levis parmam, volucris fert pennula sicam,
 Et thoracis habet pluma minuta locum.
 Jamq; dies sextus conventus fluxerat hujus,
 Certatim in bellum parte ab utraq; ruunt;
 Inq; vicem laniant se hinc morsibus, ictibus illinc
 170 Ingenti bellum surgit utring; animo.
 Hinc Rutulos, illinc videas consurgere Teucros,
 Sævire & Martem parte ab utraq; ferum.
 Glans cadit autumnno veluti de stipite querno,
 Maturum & folium jam venit ante gelu.
 175 Non aliter avium moriens exercitus illic
 Decidit & magna strage replevit humum.

Nam

Nam teres aestivis impletur ut area granis,
Exstincta campus sic aere plenus erat.
A Borea in Boream veniens pars parva reversa est,
180 Tota in utramq; cohors parte perempta jacet
Res sonat ista, venit populus, factumq; stupefiunt,
Mirantur varia membra jacentis avis,
Ipse Tolosana Praesul quoq; venit ab urbe
Mantio, plebs rogat, haec ales an esca fuat?
185 Illicitis speretis, licitas adsumite dixit,
Plaustra ornerant avibus, in sua quisq; redit.
Tale quid hoc etiam patratum tempore, nobis
Fama dedit velox multa per ora volans.
Qui Romam, Romaq; meant remeantq; canunt hoc,
190 Inter quos mulier hic bona testis inest.
Oratum haec Turono Romam petit, inde reversa
Presbytero Arlalto rem canit, ille mihi.
Deniq; circa Ararim pigrum, Rhodanumq; rapacem
Ut supra volucrum pugna peracta fuit.
195 Quo rigidas inter cautes densasq; paludes
Paucapotent planis obsita rura locis.
Illic ut perhibent venit genus omne volantum
Quas coropatulus nutrit opimus ager.
Pars sedet in scopulis, residet pars plena per arva,
200 Arboreis ramis pars quoq; multa sedet.
Militiae in geminam partem distincta jubentur,
Ultraq; conflictum pars meditatur hians.
Quattuor accipitres veniunt hinc, quattuor illinc,
Quattuor et totidem parte ab utraq; capi.
205 Primo hi congressu perimunt se hinc, inde vicissim
Accipitrem accipiter, ceu capus ipse capum.
Rostra instant rostris, conflagunt ungvibus ungvēs,
Quo paria arma vehunt, hinc magis se perimunt,
Egit

Egit idem Mathus populus Romanus in arvis
 210 Cum fera bella gerunt, hinc socer, inde gener.
 Cum patrem frater perimit, vel amicus amicum,
 Quando pares aquilas, vel paria arma vehunt.
 Nempe duæ volucres magnæ redisse feruntur,
 Quæ non pugnarunt, cætera turba jacet.
 215 Ultraq; pars vincit, mulcet victoria neutram,
 Utrinq; oppletam strage reliquit humum.
 Ut furor Annibalis complevit funere Cannas,
 Funere sic avium hæc rura repleta patent.
 Quando erit illa dies, cum nostrum intrabis in hortum,
 220 Atq; leges nostras ungue libente rosas?
 Et tua magna sitis magè sese accrescere gliscet,
 Dum quod semper amas, carmine plenus eris.
 Si quæ istis fuerint, ut erunt vitiosa Camænis,
 Parce, precor, scriptor non mihi doctus adest.
 225 Quæso tuum fidum nobis trans mitte ministrum,
 Qui tua grata mihi perferat orsa, vale.



RESCRIPTUM MODOINE.

Modoinus indignus Episcopus
 Theodulpho suo.

Lildere nemo potest versu, sine lege, polito;
 Nemo loqui rectè prævalet arte carens.
 Nec prius accipiter raptò audet vivere inermis,
 Quàm structus proprij hoc more parètis agat.
 Nec puer utiliter primis mox militat annis,
 Digna sed expertus præmia tyro capit.

Non

Non audet tranare fretum nauta absq; paratu
Tentans navigeras Typhis inermis aquas.
Arte rudis cum sim, sic me quoq; posse negabo
10 Respondere tuis versibus eximiis.
Vilis apud doctos namq; est mea Musa Poetas,
Condere ob hoc nullum carmine nitor opus.
Sed me cunctantem compellit epistola vestra
Scribere disparibus carmina jam numeris.
15 Et molli durum nunc cere inducere ferrum
Cogor & insueto texere verba modo.
Quin imo immodicum dicendum est, ritè, libello
Attulit emissus quod mihi vester, opus,
Audisti antiquos verbis ita ludere amicis,
20 Sape etiam didici hoc & ab ore tuo.
Musarum quod inops norit non antra Poeta;
Hoc de me dici sed quoq; jure potest.
Nonnulli affirmant sed & insanire Poetas,
Carmina dum statuunt mente carere sua.
25 Ast nobis integra manet mens ipsa, nec audet
Longius amisso ordine abire suo.
Scandala sed propter vitanda, nec appetit alta,
Contenta est modico nam moderata loco.
Sic, Theodulphe, meos versus adverte benignè,
30 Nec sint despecta carmina nostra tibi.
Nolo venenato nostra unquam dente laceffas,
Sed sint judicio carmina tuta tuo.
Siqua meis fortasse inerunt errata Camenis,
Cernuus hac aquis respice quaso oculis.

Sapè

35 Sæpe queror casum deflendo insontis amici,
More fluunt amnis lacrymæ ab ore meo.
Sæpè tuam ingeminans lux pius ipse ruinam:
Proh dolor amisso, Exul, honore peris.
Exilium innocuus pateris pertriste Sacerdos,
40 Inclytus expertus præsul anorme malum.
Nonnulli prodesse solet prudentia multa:
Læsus ab ingenio es sed pater alme tuo.
Præcipuè tua magna tibi sapientia soli
Obfuit, & , quod habes, triste paravit onus.
45 Livor edax petit alta fremès, cõsternere tētans
Simplice quicquid ovans pectore turba colit.
Nescis, pertulerit quos longos Naso labores?
Exul hic est insons factus ob invidiam.
Ipse Severinus magna est dejectus ab arce,
50 Consul Romana clarus in urbe, procul.
Magnus ab infesto est agitated milite vates
Virgilius, propriis exspoliatus agris
Vulnera sæva suo fertur sumpsisse Tyranno
Seneca, præcipuus cæde Neronis obit.
55 Quid numerè ex nostris plures sudasse nefandū
Pro nostra exilium religione pia?
Qui magis à magno colitur pius ipse Magistro,
Joannes durum pertulit exilium.
Hilarius sensisti ergastula tu quoq; dira,
60 Missus in ignotum rege jubente locum.
Claviger ipse Petrus Romæ, nec non populorum
Doctõr erat Paulus carceris in gremio.

Sed

*Sed tamen hoc egit feritas inculta, repugnans
gentilis fidei, nostra inimica pia.*

65 *Adde etiã quod adhuc rudis Ecclesiasticus ordo
informisq;, sua lege careret iners.*

*Deposita feritate, frui jam pace serena
debit & proprium jure tenere modum.*

70 *Culpa sacerdotum facit hoc, quod vilis habetur
ordo ministerii maximus ille sacri.*

*Nullius inter eos affectus fidus habetur,
commendat sancto gratia quosq; loco.*

*Nemo gemit miserans aliena incommoda vitæ,
pro fratribus pulsans utilitate sui.*

75 *Unusquisq; studet terreno incumbere lucro,
sectatur fragiles deliciosus opes.*

*Ex quorum me nolo putes numero tamen esse,
qui fucata levi pectore verba ferunt.*

80 *Sed qui cessabo nunquam certare precando,
pro reditu vestro quiq; laboro libens.*

*Ergo ego sollicito veteres tibi semper amicos,
proq; tuis damnis ambitiosus ago.*

*Hæc te nosse reor, quoniam citò spargitur orbe
toto fama celer, aulica dicta gerens.*

85 *Sis quod ab infesta hæc demũ regione movẽdo,
Cæsaris ad nitidum limen iturus iter.*

*Illius ante oculos veniens lætumq; videbis
vultum, jam dudum qui tibi tristis erat.*

90 *Commissum scelus omne tibi dimittere mavult,
si peccasse tamen te memorare velis.*

D

Nam

Nam prodcsse tibi confessio pura valebit,
si te voce probes criminis esse reum.
Si te dissimulas, de quo tibi crimine dicam,
scire, nota, pro quo sic situs ipse fores?
95 Elige quicquid agas, & quod tibi cunq; videtur
consilium melius, mente, precor, teneas.
Sed mibimet melius visum est, Te sponte fateri,
quodq; negari ullo non valet ingenio.
Nullo alio superare modo putop principis iram
100 posse, probes nisi te criminis esse reum.
Promittit, si te peccasse fateberis, ipse
Consilium Casar dedere velle tibi.
Nam tibi promittit, redeat quod pristina vir-
amissum ut possis rursus adire gregē. (tus,
105 Nescio, frater amans, magē quid tibi scribere
possim,
cum sint hæc tota non tibi nota minus:
Luce mihi magnā tu Solis carior exstas:
nil fateor quod amē te magē, mundo habet.
Moltfridum crebris appellat epistola dictis,
110 lectaq; sunt vestra verba frequenter ei.
Ille valet lapsis optatam adhibere medelam,
Navisfragoq; pium ferre patrocinium.
Flebilis exhausto resonat vix carmine Musa,
dicere quid possit non habet illa magis.
115 Sed mādare aliquid dubitaret epistola vestra
mirabar vestri cur mihi servitiū. (negavi,
Nullū unquam obsequium tibi, nā mihi crede,
Sed quodcunq; jubes ipse libenter ago. Id-

Idcirco hunc missum nostrum direximus ad te,
120 quaecunq; huic mandas, ille mihi referet.
Quiq; procul dubio satis est, ut credo, fidelis,
cujus ab ore mea currere verba vides.
Ipse tibi quaecunq; roges, sine fraude recensens
absq; dolo nostrà cuncta vice expediet.
125 Imber habet liquidas quot guttas, flumina
pisces,
emittit frondes quot nemus omne virens,
Area grana solet quot habere astate: Salutes
Tot tibi mitto pater; semper ubiq; vale!
Serve Dei summi, sis semper, digne perenni
130 tempore, quæso mei, frater amande, memor.
Te supplex in calce precor nunc carminis hujus
ut vestris precibus tutus ubiq; ferar.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠?
EJUSDEM THEODULPHI
EPISCOPI VERSUS

AD LUDOVICUM ROM. IMPERATOREM.

Inclite Caesar ave, Ludovice serene, valeq;
Et tibi Cunctipotens dei bona cuncta pius,
Orbis te totus laudat, veneratur, amatq;
Et monitis paret sedulus inde tuis.
5 Primus in orbe micas, nulli es virtute secundus,
viribus armipotens te scio nemo præt.
Arma es Pontificum, venerandi culmina juris
tu vigil instanter ad meliora levas.
Tu decus es Cleri, populi ceu norma salutis,
10 Judicij callem arbiter æquus amas.

D 2

Hæc

Hæc facis & facienda doces quæ ad sydera tollunt,
Solers quæ mergunt semper ad ima caves.
Es quoq; pacificus, Sapiens, Salomonis ad instar,
in specie es Joseph, viribus inq; David.
15 Est & Scripturis patulus tibi sensus in almis,
lectio te quarum pascit alitq; frequens.
Corporeis epulis satiari corpore parcè,
Sed tua divina mens alimenta sitit.
Nam cibus illatus satiat tua viscera parcus,
20 Sed cibus æternus mentem animumq; cibatur.
Plus epulas animæ, quàm carnis diligis ipse,
has capis ad tempus, has sine sine sitis.
Es quoq; tu multum proprio laudandus in actu:
quod caro vult parcè, mens quod at optat amas.
25 Quæ mala sunt refugis, bona quæq; amplecteris ultro;
Inde Deus tecum, Rex benedicte, manet.
Ecclesiæ sanctæ dilectus filius extas,
quam tibi commisit unicus ipse Patris.
Hanc tu constanter doctrinis imbuis almis,
30 incolis, augmentas, instruis, ædificas.
Nemo fide Christi nam te præstantior extat,
plus orthodoxus est tibi nemo super.
Est tibi nemo super similis pietate vel actu,
De te vera loqui me tua facta probant.
35 Divitias mundi cauto sectaris amore,
quæis tibi constanter regna beatæ paras.
Non temet, mi Rex, Limbus non aureus inflat;
non diadema micans mentis in arce sedet.
Regius hæc fastus, tua non devotio querit,
40 cui semper dulcis gloria Christus inest.
Moribus eximiis rutilus, bonitate coruscus;
semper adherere est tibi velle Deo.

Tegs

*Te laudesq, tuas liquido depromere nulla
Vox potis est, quas nunc nostra Camena tacet.*



EJUSDEM THEODULPHI AURELII
HYMNUS IN DIE PALMARUM.

Gloria, laus & honor Tibi sit, Rex Christe, Re-
demptor,

Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Israël Tu Rex, Davidis & inclyta proles,

Nomine qui DOMINI, Rex benedicte, venis.

Catus in excelsis te laudat calicus omnis,

Et mortalis homo & cuncta creata simul.

Plebs Ebræa Tibi cum palmis obvia venit,

Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce Tibi.

Hi placuere Tibi, placeat devotio nostra,

Rex pie, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

Hi Tibi passuro solvebant munia laudis

Nos Tibi regnanti pangimus ecce melos.

In cœnobio Cluniacensi supradictis lex versi-
bus *Jodocus Clichtoveus* & septimum hunc adjectū
vidit :

Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis altos,

Nos facit Hebræos Transitus esse pius.

Sed præter hoc & alia quaterna disticha in Mis-
sali Romano Venetiis anno 1618 per D. Bernardi-
num Sogninum edito fol. 89. adduntur hoc modo :

Sis pius assessor Tu; & nos simus asellus;

Tecum & nos capiat urbs veneranda Dei.

Vestis Apostolicæ rutilo fulgore regamur,

Te benè docta ut ea nostra catena vehat. Tegmi-

15 esse cœlestis meruistis Agni
Sanguine loti.

Qui pius mundi Deus ac redemptor,
Martyr & miles radians herilis
rore robustus roseo Salutis,

20 Schemate servi.

Quem vocat votis polus, unda, tellus,
quemq; collaudat chorus Angelorum,
tagma cœlestis Solymæ supernæ

Consona cantu.

25 Quem timens atrox erebi vorago,
Dæmonum Princeps metuit, rebellis
Zabolus, teter sceleris repertor,
mortis origo.

Inde vos seclî precium sequentes
30 quæsumus, nobis meritis favete,
Ut nosos vestris nequeat nocere

Civibus istis.

Hic Topus vester vocitatur Alba
civitas, sacris decorata gazis,
35 quem sacrosancti cineres adornant,

Somata Sancta.

Sospitas ægris, Iatria lassis
Rosq; cœlestis, venia atq; nostris
fertur omissis, timor atq; mœror

40 tollitur omnis.

Hymniger psallit chorus, hicq; vobis

Con-

Concinens nablo, sonitu sonoro
cantibus Sancti Trophimi videmus
Pangere melos.

45 Vos crucis Christi socios rogate,
qui Dei patris comitantur Agnum,
intra cœlorum mereamur urbis
Septa subire.

Doxa sit Patri, genitoq; Jesu,
50 Pneumati sancto simul, ac potestas.
Sit tibi trino deitate sola.

Compar in ævum. AMEN.

•••••

CARMEN THEODULPHIAU
RELIANENSIS EPISCOPI,
in fronte bibliorum, quæ ipse descri-
bi fecit.

Quicquid ab Hebræo stylus Atticus, atq; Latinus
Sumpsit, in hoc totum Codice lector habes.

Quo loca prima tenet Genesis, primordia mundi,
diluviumq; canens, gestaq; magna Patrum.

5 Exodus Ægyptum spoliat, secat equora rubra:
pandit eremi iter, & Lympha ibi lexq; datur.

Inde, Sacerdotum gentem, Leviticus ornat;
& typicè exponit dona sacris typicis.

Bella virosq; liber Nameri describit & actus:
10 queis fregit Moyses Idola, stupra, duces.

Post repetit legem, populo benedicit & alma
jura dat; ac dicto carmine, victor obit.

Dividit hinc, proprio terram Navegius Heros
libro, deletis urbibus atq; locis.

15 Pri

- 15 *Pridem Judicibus quis & ordo cucurrit & actus,*
continuante stylo, concinit inde sequens.
Moxq; sedent, qua Ruth Moabitis femina gessit,
clara piis meritis, clara nepote pio.
Psalmicaniq; actus, & iniqui gesta Saülis
 20 *prime, sequensq; liber hinc Samuelis habes.*
Tertius & quartus, Malachim queis nomen inbasit,
Regum Hebræorum ex ordine gesta canunt.
Hinc sedet Esaias, Christum de Virgine nasci
qui canit, & gentes ad pia jura vocat.
 25 *Hunc prope Jeremias qui virgam ollamq; tuetur,*
ordine quadruplici, flebile textit opus.
Partibus Ezechiel summis obscurus & imis
hinc est, stirps qui hominis more vocatur Eri.
Post duodenus inest Vatum pius ordo minorum,
 30 *longe aliud signans, quam sua verba sonent.*
Nam Mæcham, & prolem & Joseph, crebrò intonat
Ose,
Samaritam, Effraim, Gesdrabel & Viduam.
Hinc Jobel eversum prius atris cladibus Orbem,
Flaminis adventum concinit inde pii.
 35 *Quattuor èq; tribus probris regna increpat Amos.*
se & vidisse boat mystica plura satis.
Percutit Abdias, Edom, almi cuspide verbi,
emulus & fratris illius ore ruit.
Naufragio Jona signatur passio Christi
 40 *Ninivis & vitam nomine Mundus habet.*
Filia latronis vastatur femina Michæ,
quod Ducis Israel laferit illa genas.
Voce Naum pulsat constanti sanguinis urbem,
Pacicanosq; boat montis in arce pedes.
 45 *Abba.*

- 45 *Abbacuc interno in cruce Christum spectat ocello,*
cornibus his vis est, ejus operta tonat.
Promit Sophonias à porta & colle quod audit,
Plangorem indigenis fert quoq; pila tuis.
Aggeus instaurat templum, celsumq; Tonantem
50 *moturum recinit æquora, rura, polum.*
Micha Zacharias postquam videt ordine plura,
Sessorem Dominum dicit, a selle, tuam.
Munera Malachias populi inquit abacta prioris,
agmina cumq; suis gentium amata Deo.
55 *Job quoq; verba tenens cum gestis inde libellus,*
hic parvus quamvis pondera magna vebit.
Mox dulcis dulcem depromit cantio Christum
Psalmorum, Lyrici quos statuere pedes.
Protinus idiota resident tres ordine libri,
60 *cui nomen Salomon sive Cobelet inest.*
Alloquitur primus sub prolis nomine cunctos,
corrigit & mores, Ethica, lege tua.
Omnia vana canit rutilo sub sole, secundus,
cui res est phycas enumerare labor.
65 *Tertius, Ecclesie thalamum Christi q; perornat;*
rebus & in logicis vertitur ejus opus.
Inde Philistoricus Daniel est totius orbis,
omnia qui lapidem frangere regna canit.
Hinc duo ponuntur, quis nomen Verba dierum est,
20 *Promere sive labor gesta genusq; ducum.*
Ponitur hinc Hesdras, legem templumq; reformans,
& reditum Israhel ad sua rura canens.
Ecclesieq; typum referens mox scribitur Hester,
quæ Plebi extorri lausq; decusq; fuit.
75 *Post liber est positus, cui dat Sapiencia nomen,*
quod Christi adventus morsq; patescit ibi. Pro-

Protinus aptatur liber Ecclesiasticus isti,
 quo pia iura sonant lausq; beatapatum.
 Hinc pia pauperies, pietas & opima, beate
 80. est, Tobia, libro ritè notata tuo.
 Scribitur insignis Judith mox femina facti,
 incestus cecidit qua feriente furor.
 Hinc gemini libri ponuntur Machabeorum
 gesta quibus fratrum quattuor alma sedent. (gis
 85 Promit aperta novæ Christum hinc nunc buccina le-
 tegmine nunc typico prompsit operta vetus.
 Mattheus, Marcus, Lucas, Sanctusq; Johannes,
 vox tonat huncce chorum quattuor una simul.
 Primus ab humana quia cepit promere gente,
 90 humani formam schematis inde vebit.
 Avia terribili perstringit voce secundus,
 scribitur & species inde leonis ei.
 Estq; Sacerdoti quia rebus tertius orsus,
 forma juvencalis hinc sibi ritè datur.
 95 At quia verborum pinnis super ethera quartus,
 hinc Aquila speciem celsa petentis habet.
 Quattuor atq; decem hos Pauli scripta sequuntur,
 quæ orbi misit ovis, qui lupus ante fuit.
 Romulidas revocat à legis pondere prima,
 100 atq; Evangelicam censet habere fidem.
 Arcadas infectos adverso errore secunda,
 ad veram scriptis convocat illa fidem.
 Pœnituisse placet, solatur tertia eosdem,
 laudansq; hortatur ad meliora simul.
 105 Ad fidei Galatas deducit quarta vigorem,
 qua spreta pronos grande premebat onus.
 Quinta Ephesi populos venerandis laudibus effert,
 quæ sanctam haudquaquam deseruere fidem.

Sexta Philippenses solatur, laudat & ornatur,
110 constanter fidei quod tenere decus.
Moxq; Colossenses praeventos septima falsis
vatibus instituit, corrigit atq; docet.
Thessala quam genuit, favet, hinc octava catervae,
tempora quod cum essent nubila, firma stetit.
115 Extima quaeis etiam praedicat tempora nona,
quove sit atra lues deicienda modo.
At decima textus Timotheum informat, & aptas
Ecclesiae rebus, ordinibusq; sacris.
Temporis undecimae supremi probra canuntur,
120 instruiturq; viis omnibus ille bonis.
Instruit inde Titum, decimae subiecta secunda,
Heresin ut vitet, presbyter esse queat.
Tertia post decimam, pia dat tibi verba Philemon,
quae Roma vinculus misit ab urbe pater.
125 Ultima per legis Vatumq; oracula, Christum
Hebraeis prolem praedicat esse Dei.
His sunt Catholicae subiectae ex ordine septem
Paginae, Apostolico quas capit ore stylus.
Scilicet una pii Jacobi, Petriq; gemella,
130 sunt tres Joannis, Juda, sed una, tua est.
Complentq; Ecclesiam generali dogmate totam,
instituuntq; fidem, jusq; salutis habent.
Hinc ad Apostolicos, quos Lucas protulit Actus,
saltus it Ecclesiae, qui nova gesta canunt.
135 Visio sancta libros, quae sancto visa Joanni est,
claudit, & arcano limite signat eos.
Hoc Testamenti veterisq; noviq; sub uno
calle patens bivium, ducit ad alta poli.
Hic cibus eterno satiat praecordia pastu;
140 justitiaeq; famem quo magis habetur, alit.

Hic


Hic Paradisigeno veniens de gurgite Nilus,
quem, quo plus quis adit, plus sitit omne bonum.
Hæc tuba terribilis mugit per compita mundi,
mittit terrigenum ad calicæ regna decus.
145 Hæc lux horrendas errorum discutit umbras,
qua retinent mentis te, via recta, pedes.
Sunt hæc jura Dei, tenebris nudantia Mundum,
splendidiora astris, candidiora nive.
Justa jubent, injusta vetant, mala cuncta recidunt,
150 virtutes gignunt, atq; probrosafugant.
Lex pretiosa Dei est, quid enim pretiosius illâ,
quam dat fons vitæ, lux & origo boni?
Est doctrina potens, superansq; scientia cunctas,
cui valet equari nulla sub axe poli;
155 Cui si quam cupias sensu conferre vel arte,
ut celo tellus, hæc ita cedit ei.
Quicquid in ingenuis mundana discitur arte,
artibus, hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quicquid amatur in illis,
160 hoc à fonte meat, hujus ab amne fluit.
Cumq; has in cunctis vincat fandi ordine, vincit,
quod sermone uno multa notanda docet.
Verborum atq; unum non mutans tramite callem,
hic plures, unus, res bene sermo notat.
165 Sic narrat textum, tamen ut mysteria prodat,
majora insinuat, dum modò magna canit.
Magnaq; sic parvis componit parvaq; magnis,
actum ut per vilem, tu pretiosa sones,
In re præterita, monstrat narrando futuram,
170 hæc referens, mirò prædicat illa modo.
Acta ita describens ut agendi conferat Artem,
in re ceu facta, te, facienda monet. Pov.

Pondere de rerum taceo: quis singula fando
expediat, decus hoc queis cluet atq; viget?
175 Quæ non, clausa, metum, fastidia non dat, aperta:
non hic deterret, non ibi vilis inest.
Hic spes querit eam, tenet illic prompta facultas,
quo latet, exercet; quo patet ista, cibat;
Fortium, in obscuris, exercet prælia dictis,
180 te sermone humili parvula turba fovet.
Fortibus est panis, pupillis lacteus humor,
hos solidis dapibus, hos ope lactis alit.
Curat more meri, ritu demulcet olivi,
multimodo optatu sic datur una salus.
185 Hæc etiam assiduo fastidia derogat usu,
quog; magis capitur, queritur inde magis.
Plurag; cum soleant meditatu horrescere grandi,
hujus amor, quo plus hæc meditatur, adest.
Adjuvat hæc animum humili sermone legentis;
190 Sensibus excelsis ad potiora levat.
Nam se lectiorum rudium bene nosse cæterva
hanc putat, at doctis hæc nova semper inest.
Quid, quod ad æthereas populi vocat agmina sedes,
& vita, ad sociat, non peritura, tibi?
195 Quam mundanus amor fugit accrescitq; supernus,
vertit & ad melius, corda legentis, opus.
Adde quod exemplis mundanos instruit actus,
nonq; suis sua sic dicta vel acta regit.
Singula quis referat? numero transcendit arenam
200 & pluvie guttas legis optimus honos.
Cui qui lecturum totis te nisibus addis,
quisquis es, intentaposcito mente Deum.
Ut tua clementer cum hoc nectare corda revisat,
cumq; hoc inhabitet pectoris antra tui. Hæc

205 *Hac veniente tuæ pandatur janua mentis,*
qua nitidante, omni sorde carere queas.
Hospitium quo præstat ei qui condidit illam,
cum lege hanc adeat legis & ipse dator.
Non te pervadat fastus, non gloria fallax,
210 *non vana aut vacuæ sit tibi laudis amor.*
Spiritus effugiet hominis fera pectora ficti,
hæc habitato: adit corpora pressa malis.
Sit tibi mens humilis, cor prudens, actio munda,
sit florens studium, sit pietatis opus.
215 *Crebra sit in sancta tibi met meditatio lege,*
instato monitis nocte dieq; suis.
Hanc gere corde, manu, proprio non desit ab ore;
tug; aliorum actus, corrigat illa tuos.
Hæc in parte thori sede at, hanc lumina cernant,
220 *hanc colla, hanc genua, hanc brachia curva ve-*
hant.
Ad caput hæc sede at, solito dum tempore stertis,
dumq; fugit somnus, te petat illa celer.
Nec solum ut doctus, sed & ut sis justus amato,
eminet unum alio, cum sit utrumq; bonum.
225 *Nam tibi Cunclipotens actus non verba requiret,*
illi in utroq; tamen ipse placere vales.
Disce legens, advesce frequens, faciendo doceto,
sitq; tibi hic trames, Legis in arce pia:
Quatenus erudiat mentem tibi lectio crebra,
230 *detq; tuis pulcræ sensibus illa viam.*
Ne cito labatur, vires sibi colligat usu,
lectio crebra tenet, mens quod acuta capit.
Semita si cæso dumosa robore sylvæ,
dum teritur crebro sit via lata pede.

235 *San-*

235 Sancta ferant sanctis verbis exempla vigorem,
qua canis & facito, qua facis ipsa cane.
Non verbis actus, non illis verba repugnent,
nobile par tecum currat utrumq; simul.
Quod bene mente capis, humili sermone profare,
240 ne fastu amittas quod studiosus habes.
Plura referre mora est: in paucis collige multa,
Lector, cui fulvum mentis acumen inest.
Semine sic messor proviso plurima parvo
grana vebit, voto fertilior cluens.
245 Dumq; opus id cernis, relegis dum carmina nostra,
THEODULPHI clemens sis memor, oro, vale.



EJUSDEM THEODULPHI

Versus præfixi brevi Chronico,
quod Bibliis adjectum fuit.

Codicis hujus opus struxit Theodulphus amore
illius, hic cujus lex benedicta tonat,
Nam foris hoc gemmis, auro splendet & ostro,
Splendidior tamen intus honore micat.
5 Quo post Catholica veneranda volumina legis
parva tenet modicum scriptio, cerne, locum.
Scilicet auspicio sumens exordia ab ipso,
per Patrum & Regum nomina textit opus.
Et notat annorum numerum, notat ordine regna,
20 Heracli princeps, tempus adusq; tuum.
Gestaq; dat paucis reminisci plurima verbis,
Sic modico in nutu grande notatur opus.
Hinc ad aperta sedent Hebrae nomina lingua,
qua sacrae legis inclytus usus habet.

E

Attica


15 Attica post resident, fidei quæ sacra vetustas
contulit, Ecclesiæ quæ vocitantur opes.
Conficitur Latio de nomine silvula parva,
quæ magni fructus pondera digna vebit.
Corpore sub parvo mysteria magna retentant
20 hæ res, quas limes codicis hujus habet.
His fluvium Legis poterit lustrare lucernis,
querere qui pisces legis in amne cupit.
Restibus his poterit preciosam prendere prædam,
ars est cui in sancta querere lege cibum.
25 Non has, lector ovans, quasi quedam vilia temne,
vilis rem pulcræ capsâ tenere solet.
Ferreâ nam clavis, de vili facta metallo,
argenti atq; auri dat penetrare locum.
Quæq; est servanti ceu sarcina parva, ferendi
30 quæ gravis est præcij sarcina, monstrat iter.
Nam modicis clavis grandis structura tenetur,
marculus & parvus magna metalla polit.
Sic segetes magnæ nascuntur semine parvo,
pondus & arboreum germine deq; levi,
35 Abstrusa aperiant panduntq; latentia plura,
parvaq; velamen virgula grande levat.
Quosq; tenent flores librorum grandia præta,
& simul hic calathus dat tibi, carpe manu.
Utere ceu felix, quò sis felicior ipse,
40 cum tua perpetuas vita capesset opes.
Et memor esse mei dignare per omnia quæso,
dum legis & relegis, dumq; opus istud adis:
Dumq; opus istud adis, quod condidit actio nostra,
mercedem studij tu mihi redde mei!
45 Hanc rogo mercedem, pro me deposce Tonantem:
ut mihi det veniam, seu pius addat opem

No-

Noxia depellat, concedat prospera quæq;
participem & faciat, vita beata, tui.

Componat mores, firmet spem, corrigat actus,
50 utq; animæ adveniat, hoc tribuente, Salus.

Atq; ita me clemens peccamine purget ab omni,
ut mihi post mortem det super astra locum,
Cætibus Angelicis & jungat, munere cujus
terrea progenies scandit ad astra poli.



Versus de Evangelio. Ad picturam.

Angelus ecce seni promittit munera nati, (rans.
quem populus trepidans foris expectabat & o-
concipit en verbo prolem castissima virgo.

Angelus hic sponsam Joseph commendat alendam.

5 Hic genitrix Domini meat, Elisabethq; salutatur;

utq; Deo exultet, Joannem Spiritus implet,

Zacharia soboli nomen posuere propinqui,

Sed magis Joannem certant vocitare parentes.

Nunciat Angelicus Christum Pastoribus hymnus,

10 in stabulo Dominum celebrant en omnia parvum.

Ecce Magi solio præsentant munera vero,

In somnis moniti faciem fugere Tyranni.

Sistitur hic Domino Jesus cum munere jusso:

mox ipsum Dominum didicerunt corda piorum.

15 Partibus Ægypti differtur passio Christi,

quem simulacra tremunt & chara habitacula lin-

precipit Herodes natos cruciare recentes, (quint.

millia lætantum tendunt lætantia cælum.

In senibus potior reperitur pusio doctor,

20 qui tamen imperium dignatur ferre parentum.

explicit de infantia Christi.

Hi versus in dextro pariete chori:

Isti verò in dextro pariete stationis populi.

Baptizat Dominum servi devotio summum,
prædicat hunc Genitor, invisit Spiritus unctor.

Dæmonis en fraudes Christus contemnit inanes,
Ejus cunctimodas ducens ut stercorea pompas.

5 Demonstrat placidum Joannes mitibus Agnum.
Andreas sequitur, fratri comperta profatur.

Imperat os vitreum post se properare Philippum,

Nathanaël, spissa qui mox subducit ab umbra,
testibus hisce novum fecit de flumine signum,

10 convivis latices in vitea pocula vertens.

Retia germani linqvunt in nomine Christi,
mox alii lacrymas spernunt cum nave paternas.

Omnipotens medicus, hominum miserator & unus
omnimodis pressos iussit discedere sanos.

15 Spiritibus diris, hominum de corpore pulsis,
das pecorum furiare greges justissime Judex.

En verbum Domini curat medicamine verbi,
præcipit & sanum proprium portare grabatum.

Principis ut natam sanet vel suscitet ibat:

20 Furatur mulier sacra de veste salutem.

reddidit en stupida Dominus sua munia dextra.

Consilium stolidi faciunt de sanguine Christi.

unicus en vidua redivivus redditur orbe,

ingeminant plebes, ô vere magne Prophetæ.

25 Saltatrix petiit caput, innocuumq; recepit;

Lictores fluidum linqvunt in carcere truncum.

Panibus ex quinibus & piscibus haud magis binis

en hominum large satiantur millia quinq;.

Christus aqua fluctu pressit vestigia gressu:

At

30 *At fidei dubium mergunt vada turbida Petrum.*

Hydropici tangente manu, quæ cuncta creavit,
Pallidus humor abit, facies & læta rubescit.

Ecce decem mundans templo se ferre jubebat,
unus regreditur grates, persolvere Jesu.

35 *Contentus pueros DEus est benedicere parvos,*
talibus atq; sui promittit gaudia regni.

Hic Scriba Domino sistunt in crimine captam,
quam placidus censor damnatis solvit eisdem.

Ex limo reparat, quicquid natura negabat,

40 *qui luteum primo totum plasma verat Adam.*

Hucusq; de miraculis Domini in dextro pariete.

Hi verò in fronte occidentali, in spacio,
quod supra thronum est:

E*cce tubæ crepitant, quæ mortis jura resignant:*
crux micat in cælis nubes, procedit & ignis.

Hi etiam subtus thronum inter Paradisum & in-
fernum.

Hic resident summi Christo cum iudice Sancti,
justificare pios, barathro damnare malignos.

Passio Domini in sinistro stationis populi.

Esse sibi Patrem Domino tractante Tonantem,
plebs furibunda pium certat lapidare Magistrum.

Mortue quatrifido fortens & corpore toto

Lazare surge, veni, te morti tolle rapaci!

5 *Funeris obsequium mulier prævenit amicam,*
dum caput atq; pedes nardo perfudit odora.

Mansuetum regem plebes devota frequentat,
frondea cum festis præiens comitansq; choreis.

En urbis misera dignatur flere ruinas,

10 *quæ manibus erudis ipsum discerpere gestit.*

E 3

Hic

*Hic sub carne latens Deitas per signa patescit,
dum turbas patria flagro proturbat ab aula.
En sicum viridem sterilem remanere jubebat,
quod sibi jejuno fructum præbere negabat.
15 Agricola servos cadentes vulnere sævo,
post natum Domini satagunt hic mittere morti.
Gentiles Dominum cupiunt jam cernere Christum,
Discipulos idem mortem perferre docebat.
Ecce sacerdotum primi populique nefandi
20 infidum famulum censu corrumpere gaudent.*

De S. HILARIO.

GAllia me genitum Pictavis ore tonantem
Doctorem Hilarium misit alumna suum.

De S. AMBROSIO.

Ambrosius doctor, signis insignis & hymnis
enitet hic multis, enitet eloquiis.

De S. AUGUSTINO.

Mentitur, qui te totum legisse fatetur,
aut quis cuncta tua lector habere potest?
Namque voluminibus mille Augustine refulges,
testantur libri, quod loquor ipse, tui.
Quamvis multorum careant tua limina libris,
si Augustinus adest, sufficit ipse tibi.

De S. HIERONYMO.

Hieronyme, interpres variis doctissime lingvis,
Te Bethlem celebrat, te totus personat orbis,
te quoque nostra tuis dat libris Bibliotheca.

IN ADVENTU CAROLI FILII AUGUSTORUM.

Ecce votis apta vestris venit hora, psallite!
Gaudium cordis patefcatur claritate carminum.
Salve Regum sancta proles, chare Christo Carole!
Qui verique iterum semper post binos intercalatur.

Iuste

*Iuste, felix & benigne, mitis & piissime,
Pande mentis hic nitorem, nostra complens gaudia!
Nullus ordo, nulla rerum nunc silesi at vastitas,
Mens & lingua, cor, volūtas laudem dando personet!
Credimus superna votis Angelorum millia
Nostris congaudere dignè, ut dicamus cernui:
Salve Regum sancta proles, Chare Christo Carole!
10 Hanna Vatem, Sara risum non fudit libentiùs,
Quàm te toto nunc tenellum corde mulcet Augia.
In te terra nostra Patrem suscipit cum fratribus,
Cum quibus tibi decora pars honoris permanet.
Ferte nablā, tibiasq; organum cum cymbalis!
Flatu quicquid, ore, pulsu, arte constat musicā.
Dicat omne plebis agmen, Clerus ipse primitus,
Dives, pauper, sospes, aeger, consonent in laudibus!
Te Maria sancta Proles cum subiectis omnibus
In salutem Christianam protegat feliciter!
Turba quod simul piorum, qui Deo sunt proximi,
Actitat penes supernam, poscimus, clementiam.
Gloriam dignam triformi pangimus potentia,
Quæ te sanum vexit isthuc Francorum per tegmina.
Salve Regum sancta proles, chare Christo Carole!*

IN ADVENTU LOTHARII IMPERATORIS.

In novatur nostra letos terra flores proferens,
Ver novum presentat æstas, dum datur Te cernere.
**IMPERATOR MAGNE VIVAS SEMPER ET FE-
LICITER!** (tatur.

Et hic versus intercalaris post binos usq; repe-
Gaudet totum tuorum agmen hinc fidelium,
Omnis ætas, omnis ordo, corde dictans intimo:
Imperator magne vivas semper & feliciter!

*Extet adventus beatae nunc tuae praesentiae
Gaudio plenus sereno & favore simplici!
Iuste, felix & benigne, mitis & piissime,
Pande mentis hic nitorem, nostra complens gaudia.
Quod minus dignè valemus servitute debita,
Hoc tui donet favoris laeta nobis gratia.
Sancta, LOTHARI, Mariae proles Te cum Fratribus
Et simul cum Patre magno servet, armet, protegat.
Et Valens junctus beatis hic precetur omnibus,
Vestra pax in pace cunctos firmet apta subditos!
Intus, extra, longè, juxta fulgeat concordia!
Brito cedat atq; Bulgar, omnis ardor hostium.
Vita, virtus & potestas, robur & victoria,
Fama felix Te sequatur atq; vitae praemia.
Summa Sanctae Trinitati sit per aevum gloria,
Quae gubernet & coronet Te per omne seculum!
Imperator Magne vivas semper & feliciter!
Ad LUDOVICUM in Persona PALDMAN-
NI Presbyteri.*

***R**ex pie, Rex clemens, almae virtutis amator,
Grates pro vestra summas pietate rependane
Aeterno patri, qui vos regnare potenter
& mores sanctos servare salubriter egit,
Prospera multigenis concedens cuncta triumphis.
multiplici qui vos istam servavit in horam
atq; dedit semper felici pace potiri.
Non vos ex vobis disponere tanta potestis,
sed suum adest per secula Dei mirabile donum.
Si placitum hoc fuerit, faciam tibi multa per illum
carmina conscribi supplex qui scripserat ista.
Vos Pater & Gnatus, Sanctus quoq; Spiritus omni
tempore concedat Domino praestante valere.*

JONÆ EPISCOPI DE LUDOVICO
& LOTHARIO CÆSS.

EN adest Cæsar pius & benignus,
orbe qui toto rutilat coruscus
atq; præ cunctis bonitate pollet
Munere Christi.

5 Cernuus, Prudens, Sapiens, modestus,
Mitis & Clemens, moderatus actu,
Temperans, fortis, probus ac honestus,
Censor & æquus.

Hic decus sudum Ecclesiæ paterq;
10 ornat hanc solers recreat, fovetq;
erudit, munit, colit, instruitq;
dogmate largo.

Hic potens armis, Domino favente,
viribus gentes reprimat superbas,
15 Harum & hic victor subigendo calcat
Colla triumphans.

Cujus adventus, miserante Christo,
& nitens multum facies serenat,
Civitas, temet, populosa, nempe
20 Aurelianis.

Hinc Deo laudes agito perennes,
cujus hic nutu properavit ad te,
hujus & vultum tibi met videndum
Præbuit ecce.

25 Has canat clerus simul omnis & plebs,

E S has

has senex pangat puer, atq; parvus,
Pauper & dives reboent ovantes
Pectore puro.

Hoc chorus cleri, populiq; turba,
30 Supplicum carmen recinens precatur,
det Ludovico ut Deus imperandi
tempore longa :

Prosperum clemens ferat omne semper,
pellat adversum procul, & repellat,
35 hujus & vitam tueatur omni
tempore clemens.

Cæsaris hujus valeat per ævum
nobilis conjux, celebrata proles,
gaudeat, felix populus, domusq;
40 pace perenni.

Muniunt urbem hanc proceres fideles,
qui pio Christo sua dedicarunt,
hostis adversi tolerando bella,
Corpora casta.

45 Hi duces sancti reducesq; sunt
ut tui Cæsar, foveantq; temet
horum & obtentum superes *precatu*
poscimus omnes.

Artibus cunctis placeas. Tonanti,
50 & Dei leges mediteris almus.
Queis viam vitæ valeas tenere
tramite recto.

Temporis hujus spacio peracto

alta

alta conscendens subeas polorum.
ss te pius captet chorus Angelorum
& sibi jungat.

O decus Regni, Imperij propago,
Maeste tu sempervigeas, LOTHARI,
& Patris sedem teneas potentem
60 Secla per ampla.

Sit Patri & Nato, tibi, Spiritusq;
Semper æternus honor atq; perpes,
nunc ut in præsens ita & in futura
secula semper. AMEN.

•••••

Epitaphion GEROLDI Comitis:

MOle sub hac magni servantur membra Ge-
roldi,

hujus jura loci cunctis qui viribus auxit
Pannoniis vera Ecelesie pro pace peremptus
oppetiit sævo Septembribus ense Calendis,
5 sideribusq; animam dedit, artus Saxo fidelis
abstulit, huc retulit, dignoq; hinc clausit honore.

NB. *In Vita Karoli Magni. p. 260. Hoc eodem 799.
anno gens Avarorum à fide, quam promiserat, defecit,
& Hericus Dux Foroliviensis post tot res prosperè gestas
juxta Tarsalicam Liburnie civitatem insidiis oppidano-
rum occisus est, & GEROLDUS Comes Bajoarie Præse-
tus commisso prælio cum Avaris cecidit.*

Epitaphion CONSTANTII.

Hic decus Italiae tegitur Constantius Heros,
qui Patriæ tegmen, murus & arma fuit.

Invi-

THEODULPHI,
EPISCOPI AURELIANENSIS
PARÆNESIS AD JUDICES.

* * * * *
Divitem opum populum rexit honore Dei,
Semper amans æquum, semper fera præmia temnens,
Exemplo & verbis norma salutis erat,
Maternis Samuel natus votisq; fideq;
5 Illius & dono, qui bona cuncta creat;
Tempus qui ante facit, quæ tempore condita mōstret,
cui simul est præsens quod fuit, & quod erit.
Omne genus prævit fraudis, bona cuncta fecutus,
Nec precio est usus, vilis a selle, tuo.
10 Quid referam resono modulantem carmine Regem,
Qui tota studuit mente placere Deo?
Cui bene cuncta simul parent in laude Tonantis,
Ars, caro, mens, plectrum, vox, Lyra, chorda, manus.
Cantibus, & gestis, & totis nisibus iste
15 Probra cavenda monet, jura tenenda docet.
Justus, ait, Dominus, moderati juris amator,
Cujus ovans vultus omnia justa videt:
Hic ita censores pravos, his vocibus hiscens,
Admonet, & monitis talibus ora movet:
20 Ut quid judiciis tories instatis iniquis,
Et fera peccantum sumitis ora simul?
Pauperis ad causam concurrite, sive popelli,
Et miser & pronus justificatus eat;
Vos inopes manibus peccantum demite diris:
25 Hūc proluxa stylo talja propheta canit.
Hujus in immensum veneranda potentia tendit,
Quivivit heri felix qui pater esse sui. Hic

Hic aduersorum crebra est fornace recoctus,
Hinc virtute cluit, exsuperat vitia.
30 His ejus quoniam caruit clarissima proles,
Hinc leua dextrum mentem reliquit iter
Quo magè vomer humum subiectam sauciat unctus,
Est hinc spina minus, hinc magè parva seges;
Rex fuerat sapiens, legum & moderamine justus,
35 Fœmineis captus ni foret hic laqueis:
Heu bona tot linguens tanta est ad probra volutus,
Nectar dulce meri sic malè perdit acor.
Crevit & Ezechia venerandi gloria regis,
Justitia meritis & pietatis ope,
40 Cui tria cunctipater voluit super addere lustra,
Mortis & occasu cui pia vita reedit:
Edocet hic populum patrias ediscere leges,
Et fugere erroris impedimenta mali;
Fregit in excelso compositum monte chelydram,
45 Vita hic causa prius, postmodò mortis erat.
Sic medici scalpro qui se transfigit acuto,
Inde salus, aliis hinc venit atra lues.
Hac tibi, Josias, fuit observantia princeps,
Hacq; celebre tulit nomen ad alta tuum,
50 Impia qui sceleris demis monumenta vetusti,
Et patrias leges qua potes usq; novas:
Qui decedenti datus es pia gloria regno,
Quem vespertini temporis ordo dedit.
Sic ostrum limbus, sic claudit prandia vinum,
55 Post fructus anni pinguis oliva viget.
Ingens turba Patrum quibus hoc opus instituen-
dum est,
Quos pia lex retinet, quosq; referre mora est.

Sapè

Sapè ego pollicitis censores linquere cerno,
tura, aurumq₃, avido gutture & ore sequi.
60 Sapè ego ne capiant studeo revocare volentes,
Nunc magè quis velle est, quis modo nolle minùs.
In rivos dum quis spatiosum dirigit amnem,
Pars minor in rivis, major in amne fluit.
Sapè ego dum pravos de talibus arguo rebus,
65 Hac sibi clam ducunt me quoq₃, sorte parem:
Sapè etiam talis, quum non sim, suspicor esse,
Cum mihi sint plures, hac lue liber ero.
Non potis est morbis arctarier omnibus aeger,
Sape una ex multis pestis abesse potest.
70 PRÆFECTURA mihi fuerat per agenda tributa,
Resq₃, actu grandes, officiumq₃, potens.
Nulli vi, studiisq₃, piis, armisq₃, secundus
Rex dedit hanc CAROLUS primus ad omne bo-
num ;
Cui parent Walis, Rhodanus, Mosa, Rhenus & Oenus
75 Sequana, Wisurgis, Warda, Garumna, Padus,
Rura, Mosella, Liger, Vulturinus, Matrøna, Ledus,
Hister, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar ;
Quò Synodus Clerum, populum lex stringeret alma,
Duxq₃, foret cunctis regula calle suo;
80 Ecclesie sanctus matris quò cresceret ordo,
Urbibus & validis mosq₃, decorq₃, pius :
Quas Arar, & Wardo, Rhodanus quas abluat acer,
Ælauris, sive his connumerandus Atax,
Quasq₃, Alpes Latio, Libya discriminat equor,
85 Quasq₃, Pireneus orbe ab Hibernæ, tuo :
Seu quâ Lugdunum Arcturo aut Aquilone reditur,
Resq₃, Aquitana cuius pulchra Tolosa locis.

Hæse.

Hæserat hac nobis LAIDRADUS sorte sodalis,
Cederet ut magnus, hoc relevante, labor;
90 Noricus hunc genuit, hunc tu, Lugdune, futurum
Pontificem speras religionis ope.

Arte cluit, sensuq; viget, virtute redundat,
Cui vita ad superam transitus ista manet.

Jam, Lugdune, tuis celsis post terga relictis
95 Mœnibus, adgredimur, causa quod optat, iter.
Saxosam petimus constructam in valle Viennam,
Quam scopuli inde arctant, hinc premit amnis
hians.

Inde Valentinis terris inibiq; jacenti

Rupi nos dedimus, hinc, Morenata, tibi.

100 Post & Arausinas terras, & Avenica rura
Tangimus, & fines, quos tenuere Getæ.

Inde Nemausiacas sensim properamus ad arces,
Qua spatiosa urbs est, resq; operosa satis.

Hinc Madolona habuit levam, Sextatio dextram,

105 Hinc scabris podiis, cingitur illa mari.

Queis benè transactis Agathen mox parte sinistra

Linquimus & nosmet teeta Beterris habent.

Mox sedes, Narbona, tuas, urbemq; decoram

Tangimus, occurrit quò mihi læta cohors:

110 Reliquia Getici populi, simul Hespera turba

Me consanguineo fit duce læta sibi.

Inde revisentes te, Carcassona, Redasq;

Mœnibus inferimus nos cito, Narbo, tuis.

Undiq; conveniunt populi, cleriq; caterva;

115 Et synodus clerum colligit alma ferum.

Quis benè compositis nos tandem opulenta recepit

Urbs Arelas, cives quam statuere sui.

Urbs

Urbs Aretas, aliis quæ pluribus urbibus extat
Prima, gradu tamen est, Narbo, secunda tibi.

120. Quæ synodo cleri, legum moderamine plebis
Pectora contudimus, juris & artis ope.
Massilia Argolica nos cepit condita gente,
Arvum & Aquinae urbis sive Cavelle tuum.

Ast alias lustrare vetat per singula casus,
125. Quarum nos populus, quæ sumus, omnis adit.
Æquoris insani fera quas vicinia ledunt.
Aëre corrupto & tabidus afflat odor.

Quasq; levant colles, aut vallis strangulat ima,
Quas fera pulsat hyems, grando, pruina, nives.
130. Illic & dumis, & acuta tramite cautes,
Abruptisq; caris continuatur iter.

Ima tenent valles, tendunt ad nubila montes,
Præcipites amnes montis ab arce ruunt.
Magna catervatim nos concio sæpe frequentat,
135. Ætas, quod dicat, sexus & omnis habet,
Parvulus, annosus, iuvenis, puer, innuba, celebs,
Major, ephebus, anus, masq; marita, minor;
Quid moror? instanter promittit munera plebes,
Quodq; cupit, factum si dabit, esse putat.

140. Hoc animi murum tormento frangere certant,
Ariete quò tali mens malè pulsa ruat.
Hic & cristallum, & gemmas promittit eoas.
Si faciam alterius ut potiatur agris.

Iste gravi numero nummos fert divitis auri,
145. Quos Arabum sermo, sive character arat,
Aut quos argento Latius stylus imprimit albo,
Si tamen adquirat prædia, rura, domus.

Clam nostrum quidam submissa voce ministrum
Evocat, ista sonat verba sonanda mihi:

150. Est mihi vas aliquod signis insigne vetustis,
 Cui pura est vena, et non leve pondus inest,
 Quo celata patent scelerum vestigia Caci,
 Tabo et stipitibus ora soluta virum;
 Ferrati scopuli, varia ceu signa rapina,
 155 Humano et pecudum sanguine tinctus ager:
 Quo furor Herculeus Vulcanidis ossa retundit,
 Ille fero patrios ructat ab ore focos;
 Quovè genu stomachum, seu calcibus ilia rumpit,
 Fumifluum clava guttur et ora quatit.
 160 Illic rupe cava videas procedere tauros,
 Et pavitare iterum post sua terga trahi.
 Hic in parte cava planus cui circulus ore est,
 Nec nimium latus signa minuta gerens.
 Perculit ut geminos infans Tyrinthius angves,
 165 Ordine sunt etiam gesta notata decem.
 At pars exterior crebro usu rassa politur,
 Effigiesq; perit ad tenuata vetus.
 Quo Alcides Calydonq; amnis, Nessusq; biformis
 Certant pro specie, Deianira, tua;
 170 Inclyta Nesso feralis sanguine vestis
 Cernitur, et miseri fata pavenda Lychæ:
 Perdit et Antæus dura inter brachia vitam,
 Qui solito sterni more vetatur humo.
 Hoc ego sum Domino [Dominum me fortè vocabat]
 175 Laturus, votis si favet ille meis.
 Pars numerosa subest populi, matrum atq; virorum,
 Infantum, juvenum, sexu ab utroq; simul,
 Quos pater et genitrix sub libertatis honore
 Liquere, ex illo libera turba manent;
 180 Quorum si chartas vitient vasa illa vetusta,
 His ego, tu donis mox potiere meis.

Alter ait, mihi sunt vario fucata colore

Pallia, quæ misit [ut puto] torvus Arabs.

Quò vitulus matrem sequitur, quò bucula taurum:

185 Concolor est vitulo bucula, bosq; bovi.

Splendorem species, junctamq; coloribus artem,

Utg; rotis magnis juncta sit arte minor.

Est mihi cum quodam de armentis quæstio pulchris,

Pro quibus ista paro congrua dona dare,

190 Pro vitulis vitulum, pro tauris offero taurum,

Pro vacca vaccam, pro bove dono bovem.

Pocula promittit quidam se pulchra daturum,

Si modò quæ pascit, non sibi danda, darem:

Interius aurum, exterius nigredo decorat,

195 Cum color argenti sulphure tactus abit.

Quis benè fulcra nitent, & pulcra toreumata, pannos

Alter ait dabimus, quæ rogo, si dederis.

Vitibus atq; oleis, herbis ornatus & hortis

Inriguus patris est morte relictus ager;

200 Inde mihi partes fratresq; sororq; requirunt,

Consorte hunc nullo solus habere velim:

Voti compos ero, tibi si mea vota placebunt,

Quæ do, si capias, quæ rogo, ritè dabis.

Subripit ille boves socii, cupit iste novales,

205 Ambo aliena quidem, hic tenet, ille cupit.

Alter ut adquirat, ne perdat aduritur alter:

Iste ensem & galeam, hic dare scuta parat.

Res Patris unus habet, frater cupit alter habere:

Et dare vult mulos alter, & alter equos.

210 Hæc pars dives opum, pars instat cætera plebis,

Quod quærant omnes, quòdq; quærantur habent;

Sed nec eis deerat dandi tamen apta voluntas,

Diversis unus viribus usus erat,

F 2

Magna

Magna ut maiores, sic promunt parva minores,
212 Dum fore, quæ cupiunt, hæc sibi sorte putant.
Iste tuo dictas de nomine, cardoba, pelles,
Hinc niveas, alter protrahit inde rubras.
Linea qui potis est, qui non, fert lanea dona,
Tegmen & hic capitis, hic pedis, ille manûs;
220. Quo facies humore levi palmasq; solemus
Tergere, quis donum textile munus habet.
Scrinia danda parant alii, nec defuit ille,
Cereolos rotulos quidare vellet ovans.
Singula quis referat? fidebant munere cuncti,
225. Nec se quis quiddam, ni det, habere putat.
O scelerata lues, partes diffusa per omnes,
O scelus, ô furor, ô res truculenta nimis;
Quæ sibi captivum totum malè vindicat orbem,
Nec deest qui det, qui malè capta ferat.
230. Flectere sic properant me, nec tamen esse putarent
Talem, ni talis antè fuisset ibi.
Nemo in aquis apros, in sylvis squamea dona,
Inq; rogos undis, in face quærit aquas.
Tura Sabæus ager, Gangetis eburnea monstra
235. Gryphas & Hyrcanus, balsama Syrus habet.
Singula lege sua, assiduo quærentur & usu,
Et fore mortales quod fuit antè putant.
At sua cum cernunt verborum spicula frangi,
Et nil promissi tela valere sui;
240. Meq; velut fortem post prælia fortiter urbem,
Stare, atq; arte suâ non potuisse capi;
Rem mox quisq; suam quærens, sua quisq; recepit
Iura, nec insidiis meq; suosq; premunt:
Sic quicumq; videns aditum, quo sæpè solebat
245. Furari, obstrusum, spe sine transit iter.

*Sed ne actus nostros discretio linqvert alma,
Resvè putarentur hæc simulanter agi;
Nevè forem multis novitate notabilis ipsa,
Horreretq; bonum proximitate mali;
250. Spernere contempsi quæ dat concordia pacis,
Quæ ut sociat mentes, datq; capitq; libens,
Et commune facit cujus benè postulat usus,
Multaq; cum habeat, nil docet esse suum.
Hæc ego pertractans sumebam parva libenter,
255. Quæ non sæva manus, cara sed illa dabat;
Scilicet arboreos fructus, horti q; virentis,
Ova, merum, panes, cornipedumq; cibos:
Sumpsimus & teneros pullos, modicasq; volucres,
Corpora sunt quarum parva, sed apta cibus.
260. O felix omnis virtus, discretio si quam
Virtutem nutritrix temperat, ornat, alit.
Quæ errabunda meos paulò est digressa per actus,
Ad captum redeat nostra camæna melos.
Æ QVA tibi justæ sint, JUDEX, pondera libræ,
265. Ut sua quisq; libens hac tribuente ferat:
Nec sit avara lues, nec amor, Zelusq; timorq;
Quæ turbent, firmus stet tibi mentis apex.
Proh dolor, his rebus pietas citò pellitur æqui,
Ejus & invadunt fraudq; dolusq; locum:
270. Quatuor hæc fontes, tribus est nam fontior una,
Quæ est radix cunctis dira libido malis.
Muneris invalidas acceptio vertere mentes
Adsolet, à vero jusq; fugare pium:
Non solum argento res hæc inolefcit & auro,
275. Præpetis aut campos ungue cavantis equi;
Murice seu rutilo, gemmis, aut syrmate pulchro,
Aut rebus variis quas vola ferre solet;*

Sed

Sed levibus verbis, paribusq; volantibus auris,
Blandiciæ vento mens quibus acta tumet.
280 Vestis bonos color est, marsupia pondere gaudent,
In tennes ventos aura favoris abit:
Scilicet his saltim terreni gloria lucri,
Illis è contra nil nisi ventus inest.
Judicis ingenium citò turbat munere dives,
285 Hoc quia ferre nequit, it tremebundus inops.
Hic magis, ille magis spondent se se esse duros,
Hic tamen adquiret, qui potiora dabit.
Est quem nec testes, nec lex, nec chartula fulcit,
Sicq; forum cunctis his spoliatus adit.
290 Omnia fert secum, si, cum libet, Accipe dicit,
Omnibus est fretus, si dare plura queat.
Parcite Censores huic succensere labori,
Tollere qui crimen, non adhibere parat.
Non ego quorundam diffundo crimen in omnes,
295 Cuiq; sit ex merito lausve, pudorve suo:
Heu scelus est ullis pro rebus linquere verum,
Vendere seu, gratis quod dare quemq; decet!
Nolo dolo veri vel acerbè fraude carere,
Etsi pro justo munera jure feras.
300 Arbiter est æquum, est & iniquum vendere certans,
Nam scelus hic unum, perpetrat ille duo:
Hic quia jus vendit, quod debet dedere gratis,
Ille quia id temnit, sed tamen inde capit.
Qui fera iudicio pro recto præmia querit,
305 Ille dum per agit [fraus inimica] nefas.
Qui dare quæ debet gratis pia munia juris,
Indigna precium pensat avarus ope.
Te si fortè furor pervasit pestis avara,
Stet ratio & docili sic tibi voce canat:

310 Cer-

310 CERNE quod altithronus temet speculetur ab alto.
Quæq; facis summa singula mente notet.
Qui iudex testisq; simul vindexq; malorum est,
Qui dare digna bonis scit, mala digna malis.
Si tamen è contra, CAPE MUNUS personet illa,
315 Quod modò des sociis, postmodò temne capi:
Cui victrix ratio contrà stans, Improba, dicat,
Pestis abi, & totam se tibi reddat agens.
Non sitis hæc explenda tibi est, quæ fervidus ardes,
Quo magis hæc biberis, hinc tibi major erit.
320 Æstuat inde magis, quò plus ligna accipit ignis:
Sic & habere cupit, quò magè quisquis habet.
Sanguine sit major congesto semper hirudo,
Et magis inde sitit, quò magis illa bibit.
ERGO studete precor furiosum pellere morbum;
325 Me medicante, fero vulnere sanus eris.
Illius alma manus cùm te sanaverit ægrum,
In te hæc regnet, eat pestis acerba procul:
Quum te causarum vocat ad fora turbida clangor,
Estq; ministerii res peragenda tui,
330 Principio loca sancta libens adeunda require,
Quæ pete, dumq; petis fer pia voto Deo;
Et supplex exposce, tuos ut dirigat actus,
Nec sinat ulla geri, ni placitura sibi.
Nam modus est cunctis servandus in actibus idem,
335 Cum res quælibet est incipienda tibi.
Jus regnumq; Dei censemur quærere primùm,
Omnia ut hac nobis adiiciantur ope.
Marmore si tali jacias fundamenta prima,
Firmius omne pium, hinc bene surgit opus.
340 O semel, ô quater, ô numeri sine lege beatum
Quod tibi, Christe lapis inclyte, adheret opus.

Mox de more fori celer appete claustra sonori,
 Quò te fors spectat litigiosa cohors.
 Dum isq₃ redisq₃, sonet si verba precanti pauper,
 345. Qui se post dicat non tibi posse loqui.
 Cum populo stipatus eas foribusq₃ superbis,
 Plebe inbiante foris, ipse receptus eris;
 Te prope fidus eat justusq₃ piusq₃ minister
 Quo duce post tibimet pauper adesse queat.
 350. Cui dicas, hominem conspectibus addito nostris,
 Magna querelosis qui dabat orsa sonis;
 Et residens ejus primùm bene discute causam,
 Ordine post currant singula quæq₃ suo.
 Ad fora fors quæris veniendi tempus & horam,
 355. Accipe consilium, manè venito, meum;
 Perg₃ diem totum non te labor iste gravabit,
 Hinc seges est major, quò mage quisquis arat.
 Qui legem ut caperet, jeiunia magna peregit,
 Fertur in hoc actu continuasse dies.
 360. Vidi ego censores ad iuris munia tardos,
 Munera (nam fateor) ad capienda citos.
 Horâ adsunt quintâ, & norunt discedere nonâ,
 Tertia si adducat, sexta reducit eos;
 Nam dare si debent, nona; si prendere, prima
 365. Adsunt, estq₃ citus qui modò serus erat:
 Sic sua dum sonipes frenarier ora lupatis
 Senserit, exiliet pabula sponte petet.
 Ledere qui semper, nunquam prodesse paratur,
 Sat citò, qui nunquam debeat, ille venit.
 370. Crapula vitetur semper, plus tempore eodem
 Quo pia justitiæ lora regenda manent.
 Nam qui se nimis epulis somnoq₃ sepultat,
 Corporis atq₃ animæ vim sibi demit hebes:

Cum

Cum venit ad causas nudatus acumine sensus
 375. Marcidus & segnis & sine mente sedes :
 Dum sit in ambiguo causæ solertia habenda,
 Quæstio & alterna sit vice versa diu.
 Ille piger, madidus, ructans, temulentus, anhelus
 Oscitat, & marcet, nauseat, angit, hebet ;
 80. Et modò juncturas dicit, modò viscus inesse,
 Et modò tota simul membra gravata sibi.
 Inficit hunc primum somnus post vina, dapesq;
 Proximus est illi luxuriare labor.
 Ergo caveto cibos nimios, carchesia Bacchi,
 385. Somnos hæc, mentem singula sæpe premunt.
 Hæc ut parva fovent stomachura, sic plura gravabunt,
 Multa aqua farræ necat, cum mediocris alat.
 Ebrius à populo furtim ridebere cuncto,
 Innuit hic illi, moxq; notatus eris.
 390. Sobrius ora movens à plebe verebere cuncta,
 Certatim & facient quæ facienda dabis.
 Quos pia commendat probitas, quos actio iusta,
 Introduc, proprio nomine quemq; voca.
 Hi tecum ingenti cura tractentq; legantq;
 395 Vestigentq; viam quæ ad meliora vocat.
 Janitor interea turbam compescat hiantem,
 Ne ruat ulterius plebs sine lege furens :
 Néve querelifero densentur tecta tumultu,
 Qui minus auditur, quò magis ille boât.
 400. Præmiæne quærat moneatur janitor ipse,
 Sæpe capi à populo quæ veniente solent.
 Est scelus à populo precium sperare querenti,
 Me miserum, scelus hoc janitor omnis amat:
 Janitor omnis amat, non hoc tamen Arbiter odit,
 405. Vix de mille unus qui borreat illud erit.

F S

Sunt

Sunt varia vires, amor est tamen unus habendi,
Qui potius furor est, quam vocitandus amor:
Hac nocitura lues totum circumvolat orbem,
Magnam hominum partem quæ furiosa vorat.
410. Tabefatigatur hac ætas omnis & ordo,
Virgo, puer, vetulus, sexus uterq; simul.
Magna velut magni cupiunt, sic parvula parvi,
Musio mure facit, quod leo corvus ove.
Compositis igitur cunctis per singula rebus,
415. Poscit ut officii tempus & ordo tui,
Sedibus, ordinibus populi residente senatu,
Cum te susceptum sella curulis habet;
Hos circumspiciens adfare hinc talibus orsis,
Sicq; pio hos tecum mentis amore mone.
420. DISCITE justitiam, cœlestia discite iussa,
Quæ pater altitronus sanxit ab axe poli;
Hanc Deus, hanc vates, hanc leges, hanc quoq; princeps
Percensent, hæc vos pectora nostra regat.
Si nos illa regat, populos tunc ritè regemus,
425. Mens bene cuncta regit, quam Deus ipse regit.
His aliquantisper monitis, verbisq; morare
Gustumq; egregium legis ab amne dabis:
At si fortè levi ventosa superbia nixa,
Te petere affectet, te lacerare velit;
430. Curva oculos, horrenda manus, fœdisima rictus,
Vipereumq; caput, corpus & omne tumens.
Mens tumefacta cui, levis actio, turgida vox est,
Cui cibus & potus atra venena manent,
Progressu saltus, pro plantis pinna volucris,
435. Remige quo labi quivivit ab axe poli.
Et memor antiqui sceleris super æthere facti,
Uten arte sua, quâ petit ima stygis.

Quâ

Quâ tenuis turba te celsum sibi let intus
Sedibus, admisci dedecus esse putes.
440 Ecce humilis plebis fieri pars una laboras,
Dum pius & clemens omnibus esse cupis;
Ordo gradusq; tuus levat ad sublimia temet,
Cur te sponte premis, qui loca celsa tenes?
Nam si perspicias, non hic mediocriter erras,
445 Quum te degenerem simplicitate facis:
Quum tibi nemo queat obsistere, nemo reniti,
De capite in caudam cur malesane ruis?
Cœperit at cæcum sub pectore vivere vulnus,
Aut quod erit pejus jam fluitare foras;
450 Vis humilis statim exiliat, prudentia cujus
Sit collega, piis viribus arma ferens.
Splendor in ore quibus, radiantes lumine vestes,
Vultus erit comis, singula pulchra sativ.
Nobile par tantum horrendum insurgat in hostem,
455. Et, pestis procul hinc improba, dicat, abi.
Improba, dicat, abi, sociis te Manibus adde,
Quorum fors sorte est ad cumulata tua.
I, pete Cocytum, Phlegethontis mergere fundo,
Quo tuus inventor trux cruciandus erit.
460 Quiq; Dei voluit summam conscendere sedem,
Sede pia tecum lapsus in ima jacet.
Quò rueret tecum sine te, quò scandere posset?
Dum firmamenti in sede manes, & erat.
Sarcina tu gravis es dignis, gestamen iniquis,
465 Esq; auriga malis, pondus enorme bonis.
Quos petis infelix, quos ledere niteris agrè,
Non tua, sed Christi est bene turba sequax;
Æthere qui veniens parefecit ad æthera callem,
Quò via clausa diu, nunc ad aperta patet;

470 Qui

470. *Qui de terrenis trahit ad cœlestia semper,
 Cùm tu de superis semper ad ima trabas.
 Ille locat prior cœlesti in sede sequaces,
 Tartara tu mergis in metuenda tuos.
 His jaculis corrupta lues, hac cuspide abacta*
475. *Cedat, ut abscedunt sole fugante nives.
 Hinc fera vulnifici fugiant vestigia monstri,
 Vulnus & hoste datum sanet amica manus:
 Hæc abigat ferro aut ustum medicamine morbum,
 Ejus & hæc detur voce medela tibi:*
480. *Aspice ne vitiet tumidus præcordia fastus,
 Dum loca sublimis editiora tenes;
 Dumq; favent populi, vallaris pluribus unus,
 Undiq; te septum prosperitate putas:
 Neve, quod es, demant oblivia segnia menti,*
485. *Ultima sit semper conspicienda dies.
 Ut valeas omni vitiorum sorde carere,
 Hoc quod es aspicio, non tamen id quod habes.
 Ipse licet sedeas gemmis ornatus & ostro,
 Post carnis putridus tempora pulvis eris.*
490. *Corpus n. fulvo quod nunc accingitur auro,
 Serica quod vario palla colore tegit.
 Squalebit scalis olidum, gelidumq; putenti,
 Pro dolor, intectum veste premetur humo.
 Quod mare, quodq; aer, quod terraq; gestat edendum,*
495. *Poclaq; pulchra cui tu tribuenda paras;
 E heu tabifica putredinis ore vorandum est,
 E heu sordidulus post cinis illud erit:
 Et caro quæ musco redolenti & flagrat amomo,
 Quæq; peregrini tergore muris olet:*
500. *Nidorem labefacta dabit sanieq; madebit.
 Omne quod offendat, nil quod ametur habens:*

Quemq;

Quemq; tegunt celsis laqueata palatia tectis,
Parvaq; conqvereris, culmina magna satis.
Clausus in angusta, modicaq; teneberis urna
505. Vixq; domus tibi met corpore major erit:
Quemq; catervatim populus hinc inde frequentant,
Plebs parere parat ista vel illa tibi:
Postmodò solus eris habitator solius antri.
Causa videndi te quæ, nisi luctus, erit?
510. Sed nec erunt socii, nisi qui tua viscera rodant,
Quæis cibus est genitrix, quæ sine vita brevis.
Mille greges redeant tibi quæquam, armenta q; mille
Finitimusq; tuam nemo coarctet humum.
Omnibus ipse carens, inamati tegmina busti,
515. Rebus inops, rerum pauperiora petes.
Corpora sufficiunt nec ad unum plura vehendum,
Par color eligitur, corpus & omne decens.
Bis bina es ceruice tamen tum forte vehendus,
Cum jam extremus erit & lacrimosus honor,
520. Ferreus & gelidos somnus dissoluerit artus,
Cumq; breue arripies non rediturus iter.
Plura quid enumerem? visu quod cernitur aptum,
Usibus humanis quod favet atq; placet.
Post vitam vermis, post vermem pulvis abibit,
525. Voce Tonantis erit, cum redit unde venit.
Corporis hæc lex est terrestri figmine creti,
Alteravis animæ est, æther origo cui.
Carcere quæ trusa est tandem generosa caduco,
Terra quæquamq; domus comprimit atq; gravat.
530. Hæc duo sic junxit clemens elementa creator,
Ut maneat vivus ac moribundus homo.
Juncta simul vitam, mortem rescissa ministrant:
Vivere, adesse sibi, his est, & abesse, mori.

Dispare

Dispare sed cursu repetunt terrestria terram,
 535. Cœlica nam se se reddit origo suis.
 Ut calis aër, tellus huic infima cedit,
 Sic animæ corpus decet ubiq₃ suæ.
 Heu quantum scelus est animæ præponere corpus,
 Et rem mortalem, non-moribunda, tibi,
 540. Ancillam dominæ, piperi præferre cicutam,
 Plumbum auro, gemmis sordida saxa bonis:
 Præsideat menti Deus, hæc quoq₃ provida carni,
 Hæc vegetante animâ, vivat, & illa Deo:
 Ordine quo tali probus ad sublime traharis,
 545, Et tua mens fugiat infima, celsa petat:
 Quumq₃ erit illa dies, quæ nil nisi corpora quassat,
 Terra tegat corpus, spiritus alta petat.
 Hanc statue ante oculos, hanc semper mente voluta,
 Ut quidam quondam Rex sapienter ait:
 550 Ultima nam tua sunt, carens peccamine ut atro,
 Actibus in cunctis commemoranda tibi.
 Nam tua, si, quid eris, meditatio sedula tractet,
 Raris aut nullis inficere malis.
 Hæc si perpendas, post mortem vita perennis,
 555. Parte eris & vivus mox meliore tui.
 Cumq₃ gravis litui clangor concusserit orbem,
 Prodierisq₃ urnâ jam redi vivus homo,
 Sedibus & rursus dederit se mens tua priscis,
 Cœtibus angelicis connumerandus eris.
 560 Finierint, propria tu statim in mente tribunal,
 Jussa peracturus, sponte parabis eis.
 Conscendant, sede anteq₃ simul, regnentq₃ vocentq₃
 Omnem animi motum mentis ab arce tuæ:
 Hac ope munitus, taliq₃ juvamine fretus
 565 Currat inoffenso pes tibi calle celer.

I citò

Icitò, fare, puer, de pluribus elige quosdam,
 Qui loca finitimis non propiora colunt:
 Proq; suis causis istinc venere, vel illinc,
 Aut quamvis propè sint, plebs tamen extat inops.
 570 Quis si mixtus erit proprius, ne projice, civis,
 Ejus causa sonet, quilibet intus erit.
 Ne si projicias, rediens venientibus obstet,
 Seq; sibi impediant, dum hic it, & ille redit.
 Discito cunctorum vigilantibus indagine causas,
 575 Quo finire queas ordine quamq; suo.
 Has bene disce prius, has quantum discere debes,
 Job tibi in exemplum verba parantur, ait:
 Lumen eram cæco, gressus moderatio claudo,
 Pauper & invento me patre tutus erat.
 580 Quærebam ignotæ solers sinuamina causa,
 Quis poteram studiis, quò mihi nota foret.
 Nec citò festines ad causæ tendere finem,
 Nec lento aut nimium hanc pede velle piger.
 Ne lentum torpor, celerem te nubilet error,
 585 Inter utrumq; malum pes tibi tutus eat.
 Finge aliud dum causa latet, mox causa patefcet,
 Ne malè fallaris, tu benè falle prius.
 Nec * falsa infantis falsæ mendacia matris
 Protulit, & carum vera recepit onus:
 590 Hæc Salomoniacam res vexit ad ardua famam,
 Fitq; timor populis, & via laudis ei.
 Sæpè suas semperq; solent convolvere causas
 Magni, cum propria re sine pauper eat.
 Host tibi tu socios in causis adde minorum,
 595 Postpositisq; suis te bene quisq; juvet.
 Qui patre seu matre orbatur, vel si qua marito,
 Istorum causas sit tua cura sequi.

Horum

Horum causiloquus, horum tutela maneto,
 Et pars hæc matrem noverit, illa virum.
 600. Debilis, invalidus, puer, æger anusvè senexvè
 Si veniant, fer opem his miserando piam.
 Fac sedeat qui stare nequit, qui surgere, prende,
 Qui cor voxq; tremit, pesve manusve, juva,
 Dejectum verbis releva, sedato minacem,
 605. Qui timet, huic vires: qui furit, adde metum.
 Turbas & lites multarum & prælia vocum,
 Acri perstringes voce, sonog; gravi.
 Anseribus raucis, cornicibus atq; nigellis,
 Qui ut recinant omnes, mos solet esse, simul.
 610. Ni taceant, impone minas, tamen usq; caveto
 Ad fera ne faciles sint tibi verba manus,
 Corporis arx palmo nec recto pectora sunt
 Pulsa tuo baculo tunc alicujus ibi.
 Dispare cum variæ venient humore catervæ,
 615. Hic nequit, ille valet: nolet hic, ille volet.
 Tu rege solerti varios moderamine motus,
 Quidq; cui expediat providus adde loco.
 Comprime si velox sit ardior argue tardum,
 Ocior ut hic sit, tardior ille tamen.
 620. Instrue, si stolidus; si callidus, adtrahere frena:
 Hic sua ne perdat, hic ne aliena petat.
 Vel ne verbosus ventosæ turbine lingua
 Obruat inceptam remq; modumq; rei.
 Dumq; sinis vacuis medias sermonibus horas
 625. Ire, sine effectu resq; diesq; meent.
 Est sua quæ nequeat explere negotia fando,
 Et malè rem mutilat inscia lingua suam.
 Ac veluti si quis tenso curvamine cornu,
 Dum mavult hostem, seq; suosq; ferit:

630. Sic

630 Sic nocitura sibi dum promit famina talis,
 Figitur heu jaculo mox miser ipse suo.
 Hujus remigium verbis tu * præbe salubre, (*redde)
 Ne ruat hunc retine, si ruit ipse leva.
 Cum perplexa forum resonabit causa per omne,
 635 Lasset ut ambiguo teq; tuosq; tono:
 Indic causidicis ab utraq; silentia parte,
 Ne jus perturbent, dum sua quisq; boat.
 Cumq; viris paucis, omni reticente caterva,
 Rem berè volve libens atq; revolve diu:
 640 Quatenus invento tandem sine crimine calle,
 Lis ferè sedetur, jus sua cuiq; ferat.
 Aspice præterea prope te quicumq; sedebit,
 Ne prece seu donis jus vitare velit.
 Cujus fors auris jam lens tacta susurro est,
 645 Hisq; favere velit - - - -
 - - - - se se tibi prodere nolit,
 Fluctuet hinc anceps, dum cupit atq; timet:
 Haud aliter quàm cum meditatur adultera stuprum;
 Hinc scelus affectat, inde flagella timet.
 650 Sæpè mali socij socium contagia lædunt,
 Læditur ut pecoris proximitate pecus.
 Temne putare æquum, qui sese celat iniquum,
 Ne te, dum nescis, ad sua probra trahat:
 Sic se fur socium simulat, nociturus ut intret,
 655 Sicq; latent dulci mixta venena mero.
 Esto & sollicitus propria de parte jugalis,
 Ne mentem maculet inliciendo tuam.
 Oscula quæ genibus, manibus, colloq; genisq;
 Blanda dabit, miscet lenia verba quibus;
 660 Syeta preces tali proprias armare veneno,
 Armatur ut arcitenens impigra tela suo:

G

Si

Si tua mens fuerit munita casside forti,
Tela ut conspiciat hinc resiliere sua.
Inde ea mox rediet ficta & suspiria dando,
665 Flensq; , suas pondus non habuisse preces:
Mox puer, aut nutrix, aut fors ancillula mendax,
Quur domina, dicet, despicias orsa mea?
Hæc vultu verso, tacito dabit ista susurro:
Qui modo conspuitur est mihi semper honor,
670 Quæq; petunt alia, referunt, profuntq; nocentq;
Voti nullius astit ego compos eo.
Illa roget demum, dicent, & ad oscula currat,
Et tibi, cur pateris esse molestus ei?
At tua mens pugnet, redeunti obsistat ut hosti,
675 Bellaq; ne vincant te recidiva time.
Neve mali quid agat, teq; id iussisse loquatur,
Sis vigil, & cura qua potes usq; cave,
Ignorante viro pridem Regina peregit,
Insontem ut premeret saxea grando virum.
680 Nec minor in propriis cura est adhibenda ministris,
Quæis comitatus inis, sunt propè quicq; tibi:
Ne fera pestis eos, illi tua pectora lædant,
Et tua commaculent intima tabe sua.
Qui ut capiant capias, ut possint sumere sumas,
685 Cogent, si poterunt, tu vigil esse stude.
Qualibet è turba te res secedere coget,
Secedant alii, proximus unus erit.
Esse tibi propior quicumq; videbitur illis,
Horum & consiliis hæc tibi verba dabit:
690 Ne, rogo, sperne preces mihi, quantas astruo vobis,
Me audacem pietas nam facit ecce tua.
Si faveas votis, est qui dare premia querit,
Sunt bona quæ dantur. qui dat & ipse bonus.

Illæ

Illa vel illa tibi dare præparat, ille vel ille,
 695 Quæ sine peccati pondere habere vales.
 Addit ut inticiat vafer hic svasoria verba,
 Cujus jam nummis est onerata manus.
 Hunc hydram, hunc cenchrin, hunc evitato cerastem,
 Hic seps, hic dipsas, hic tibi præster erit.
 700 Censor habere solet torvosq; trucesq; ministros,
 Qui tamen & pius est, & pietate viget.
 Sic tibi, Scylla, ferunt, facies humana videtur;
 Sed canibus horrent ingvina sæva feris.
 Res stat in ambiguo, præstat hic, denegat ille,
 705 EST, & NON, reboant, quæ duo plura movent;
 Semine de quorum humanas agitantia curas
 Germina causarum, seu seges ampla subit.
 Quærantur testes, ut causæ nubila demant,
 Et vero dubium qui subeunte fugent.
 710 Horum tu sollers, famamq; genusq; require,
 Nomina, seu mores, & loca, sive fidem.
 Accipe si probus est, si reprobus, exime prorsus:
 Poma ut acerba cibo reicis & apta capis
 Non hos suspicio, vel res audita, vel aurum
 715 Fulciat, hæc referant, quæ sibi visa manent:
 Utq; fidem elicias, se junctim discute eosdem,
 Et quæ quisq; canat singula verba nota.
 Si duo sunt, ambos: si plures disjice plures;
 Si tres, se junctis lex sit & ista tribus.
 720 Præsciis arcani, tutor casti, almus ephebus
 Hoc in Achæmenio rure peregit opus.
 Inde senes reprobos compressit saxeus imber,
 Quos nubs nequitiæ presserat antè nigra.
 Dissociato malos, certa sociare benignos,
 725 Ut minus illa obsit plebs, juvet ista magis.

Ut mala quæ magè sunt, magis obsunt, sic bona pro-
Dant ut oves pluris lac, ita damna lupi. [sunt,
Nec meditata prius te horum pellacia vincat,
Aspice, neu falsus sermo, sed unus eat.

730 Quos bene depren-des, iterumq; iterumq; reqvirens,
Ambage & verbi si variando trabas.

Temnite falsa loqui testes, reticereq; vera,
Quamvis diversa vos duo parte vocent.

735 Vera tacens, & falsa loquens, duo neqviter errant,
Hic quòd non prodest, hic quòd obesse cupit:
Et malus est alter, minus est tamen utilis alter,
Et quanqvam dispar error utrumq; tenet.

Nam minus hic quamvis delinqvat, & amplius ille,
Non errore procul distat uterq; sibi.

740 Dejicit hic stantem, hic temnit relevare jacentem;
Iste nocendo premit, ille silendo nocet.

Sæpe potestatum causâ malè linqvitur æquum,
Et favor atq; metus vera tacendo premunt.

745 Unde pavenda manet cælestis judicis ira,
Cum videt humanas res superesse suis.

Sis vigil interea, ne dum vis promere vera,
Quilibet intereat proditione tua.

Dignus morte manet sors, noli promere fontem,
Nec tua vox pandat sanguinis ejus iter.

750 Felix qui potuit miseros à clade levare,
Actuq; & lingua ferre salutis opem.

At mala, damnando, si quædam sentiat insons,
Credulus & judex, testis & ater, erunt.

755 Est tribus infestus personis testis iniquus,
Censori, insoni, seu tibi, summe Deus.

Quem malè jurando sua per perjuria temnit,
Cujus & in vanum nomen herile petit.

Hinc

Hinc quoque censori, sua quem mendacia fallunt,
 Et ligat erroris nexibus ille sui.
 760 Postremo in fonti, quem dictis laedit iniquis,
 Cui parat ingenio damna pavenda malo.
 Milvus ut ad carnem, piscis festinat ad hamum,
 Adque favos ursus, ad loca salsa pecus:
 Sic ruit ad munus capiendum testis iniquus,
 765 Proque malo magno praemia grata capit.
 Vendere si verum, scelus est, quid vendere falsum,
 Ni scelus est sceleri jungere, testis atrox?
 Parcite vestra precor mendacia vendere tales,
 Grata haec nec gratis si mihi detis erunt.
 770 Quae nec emenda bona, nec erant vendenda moneta,
 Mercandus vano pulvere pulvis erat.
 O merces, merces, mercede nocentior omni,
 Dantem et captantem quae necat una duos.
 Hinc perjurandi pestis succedit iniqua,
 775 Dum quis vult falsis rebus inesse fidem.
 Qui prece, qui lacrymis, qui falso murmure fallunt,
 Sunt quis saepe venit hac quoque parte fides.
 Quisquis es, assidue moneo, jurare caveto,
 Res quia jurare est, crede, pavenda satis:
 780 Non quia res mala sit, vel ab alma lege remota,
 Sed crebro dum fit, in scelus itur hians.
 Non nisi qui loquitur, poterit mentirier ullus;
 Somnia, ni stertas, cernere nulla vales:
 Non eadet in bello, nisi qui fera praelia tentat,
 785 Nec nisi tentet aprum, dente feritur apri.
 Naufragus est nullus, nisi sulcet puppibus undas,
 Nullus in igne perit, si sit ab igne procul.
 Et nisi qui jurat, peragit perjuriam nullus,
 Quod nisi quis metuat, hac lue captus erit.

790 *Cum capit auditor durus tua verba vel anceps,*
EST EST, & NON NON hæc ea cuncta ligent,
Sint & quæ excusent jurandi pondere verba,
Quæis uti culpæ fors sine sorde vales:
Si præstat mussans, exemplis, & ratione,
795 *Atq; argumentis huic adhibeto fidem:*
Si nec sic credit, si saxea pectora gestat,
Sit tibi linquendus, mox benè tutus abi.
At si jurandi te causa perurget & arctat,
Id puris verbis, id gere mente pia:
800 *Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,*
Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent.
Qui non ut juras, sed ut is jurasse putavit,
Cui juras, audit, sicq; es utriq; reus:
Nempe Deo in vanum cuius vis sumere nomen,
805 *Seu socio, quem atra fallere fraude paras.*
Si scelus ut facias, jures, vota irrita sunt:
Hoc illo est gravius, vulnus utrumq; tamen.
Vulnera parva minus, magis at majora fatigant,
Felix qui nullo vulnere laesus abit.
810 *Sit censura prius, pietas post, præmia nunquam*
Sint in iudicio, est quoq; Christus ibi.
Lex auferre jubet capita scelerata reorum,
Crus, genitale decus, lumina, terga, manus;
Membra cremare rogis, ori præfundere plumbum,
815 *Vel si quæ humana condita lege manent.*
Facta coercendis probrosis actibus illa est,
Temperet hanc pietas per mediocre bonum;
Ut nec probrosis sit conniventia rebus,
Nec vitam aut artus auferat atra manus:
820 *Esto reis talis, tibi vis qualem esse Tonantem,*
Parcere quis tandem quæ potes usq; stude.

Et

Et forsā lecto dicet quis carmine nostro;
Iste jubet nulli frena tenere malo.
Me tibi consilium legat in hoc carmine dantem,
825 Quo tua mens instans vitet utringq; malum.
Neve remissus eas sat, neu truculentus & ater,
Proderit ancipiti lata medela malo.
Non jus crudelem, nec det miseratio segnem,
Namq; aequo si sit plusve, minusvè nocet.
830 Sæpe latet vitii, virtutis imagine, pestis,
Et magis inde nocet, quò minus illa patet.
Scilicet ut quidam crudelia gesta peregit,
Justitiæ ratus est se tenuisse viam.
Corripe tu vinclis sceleratos, corripe flagris,
835 Teq; sibi durum plebs vitiosa sciat:
Attamen in misero chalybem ne tinge cruore,
Hostibus at chalybem prome, flagella reis:
Ne si dissimules, vitiis dicare favere;
Armis utaris, trux tibi nomen eat.
840 Conveniant alii leges defendere prompti,
Atq; reos variis dilaniare modis;
Et dicant, Non nos, sed lex hos prisca trucidat,
Utilis hæc rex est, quæ mala plura vetat.
Nostra ministerium legis complere securis
845 Debet; & obsequium, non scelus illud erit.
Ille ego sim, redimam miserorum qui agmina multa,
Ille ego sim, plures qui truce clade levem;
Quem turba infelix lacrymosis spectet ocellis,
Cernere quemq; tremens cætus anbelet inops;
850 Quo viso repetant propè mortua corpora vires,
Spes visu crescat his & utringq; calor.
Submissurus eram, prensurus littora, vela
Quò tibi grata quies, fessa carina, foret:

Sed tamen apparet, transacto gurgite, nobis
855 Parvula pars magni prætereunda freti:
Est rectè jungenda tibi de paupere turba,
Divite quæ premitur, cura, libelle, brevis.
Namq; inopū curam recinat pars ultima habēdam,
Cui prior artis erat jura tenenda cani;
860 Pauperibus quicumq; præes, mitissimus esto,
Teq; his natura noveris esse parem;
Non hos conditio tibi met, sed culpa subegit,
Quæ dedit ut homini subditus esset homo.
Horum te sudor, horum solatia ditant,
865 Pluribus his junctis ditior unus ines.
Flumina concursu crescunt majora minorum,
Proficit & dives pauperis auctus ope:
Corpora pingvescunt alieno corpore pasta,
Vivit & alterius morte refecta caro.
870 Fortior invalidum, atq; pusillum comprimit ingens,
Crescit & hinc major, deficit unde minor.
Hoc canis accipiterq; gerunt per littora curva,
Hoc lupus in sylvis, piscis in amne facit:
Sic fera saepe ferâ, serpens serpente necatur,
876 Sic imbelle manet nil nisi præda pecus.
O genus exemplum fugito mortale ferarum,
Nec homo sit homini, quod fera torva fera.
Non opibus spoliatur inops, non crimine falso
Addictus censum det miser ipse suum.
880 Ab quoties it avara lues sub nomine recti,
Incipit & nomen legis habere furor!
Quodq; miser perdit, perhibetur perdere justè;
Quodq; rapit dives, tollere jure putat.
Est fur, estq; fugax, huic fraudis conscia mens est,
885 Hic malè mentitur, hic rapit atq; clepit:

Hic

Hic malè servitium studuit contemnere nostrum,
Proximus est noster quem fugit ille diu.
Stipes eis plantas, connectant vincla lacertos,
Facta ut iniqua canant, lorea flagraferant.
890 Talia persultant, miseros quum ledere malunt,
Cum re, non vitiis hos spoliare volunt.
Flebilior sed iniqua gerens, qui sustinet illo est,
Hic quod agendo perit, ille ferendo viget.
Sicq; bono profunt crudelia facta maligni,
895 Sic auri ferro dite politur opus:
Namq; juvare solet pravorum se viior usus
Justos, quo afflicti cœlica regna petunt.
Quò premit Hebræam mage plebs Memphitica gentē,
Ad promissa magis tendere jura parat.
900 Ne violentus eas miseris, sed blandior esto,
Vota quibus forsitan sunt melioru tuis.
Hos nec operta fraus, nec aperta licentia ladat,
Securi & tuti sint ab utroq; malo.
Ne reputa diras, sed certa ignoscere culpas,
905 Quæ sine in hac vita vivere nemo valet.
Debita qui semper tibi met laxanda precaris,
Hoc inopi facito, quod petis ipse Deo;
Ne tua si miserum levet indulgentia nullum,
Cum petis hanc, ejus destituaris ope:
910 Sic dum conseruo contemnit parcere servus,
Iram in se justus mox revocavit heri.
Parcere mortalis mortalibus ergo parato,
Cum quævis natura lex manet una tibi.
Quævisq; tuo dispar si sit per prospera cursus,
915 Ortus & occasus est tibi par & eis.
Fons sacer hos tecum beat, inlinit unguen avitum;
Atq; agni satiat hos caro sive cruor;

Ut pro te vita est, pro his quoque mortuus, auctor;
Quemque & pro meritis ad sua dona vocat.
920 Hic submittantur transacti carbasa libri,
Littore in hoc teneat anchora iacta ratem.

EXPLICIUNT VERSUS THEUDULFI
Episcopi contra Iudices.

AGOBARDI POST LAIDRADUM LUG-
dunensis Episcopi LII. Epigramma in Caro-
lum Magnum Defunctum.

Aurea cœlorum postquam de Virgine prolis
Sumpserunt apta tibi mûdi pro crimine membra,
Jam decimus quartus post centies octo volabat
Annus, multivagi meruit quo fervida seculi
Ætherei, Carolus Francorum gloria gentis,
Æquora transire & placidum comprehendere portum
Qui deciesque quater per sex feliciter annos
Sceptra tenens regni, & regno Rex regna rejuvens
Febru-migravit quinto-arii ab orbe calendas,
Septuaginta senex vitæ qui terminat annos.
Flagito quapropter, precibus si flecteris ullis,
Quique hujus relegis versus Epigrammata, Lector,
Altriferam Caroli teneat, dic, Spiritus aulam!

EJUSDEM AGOBARDI CARMEN DE
translatis Lugdunum reliquiis sanctorum Marty-
rum Cypriani, Sperati & Pantaleon:

Rector magnificus piusque Princeps,
Augusto Carolus decore fultus,
Sceptrum nobile Francicum gerebat,
Subiectos populos piè gubernans;

Lector

5. Lectos æquora jusserat secare,
Eorumque ducem viros adire,
Dum pacem colit ac studet quieti,
Et famam cupit elevare regni.
Ac jam propitio sibi Tonante,
10. Post multos nimia via labores,
Ingressu reduci salum petentes,
Intrârunt Libycos repentè fines:
Quà Carthago gravi jacens ruinâ
Deflet præterita decus juventa,
15. Quondam dives opum, corusca bello,
Florens consiliis, fideque pollens,
At nunc Barbaricis subacta frenis,
Et prisco penitus honore nuaa,
Vix vitam tenuem gemendo ducit,
20. Curis anxia, serviens tributis.
Hic dum Basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt verenda templa,
Cernunt, ut tua, CYPRIANE Martyr,
Neglectus locus teneret ossa.
25. Tum verò nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum intuentes
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo, Sancte, tibi caput recisum est.
Et mox † aditus precando flexis († Al. poplitibus)
30. Pandunt sarcophagum, studentque sacros
Artus stringere linteis paratis,

Com-

Committuntq; sacro † onus locello : († Al. õpus)
SPERATI quoque Martyris beati
Nec non PANTALEONIS ossa, raptim
35 Tollunt cuncta simul ligantq; pannis.
Ut gazas oculis recondiderunt,
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec sævi metuunt pericla Ponti,
Portantes Domini pios alumnos,
40 Quorum cuncta preces tremunt profunda.
Egressis Arelas opima, portu
Occurrit placido, sinuque leto
Fessos excipit, ac fovet benignè
Gaudentes reditu soloque noto.
45 Illic eximias opes oranti
Deponunt animo, stupente portu,
Terrenis solitos patere fluctus,
Cœlestes subito tulisse gazas.
Quod mox comperit optimus sacerdos,
50 Lugduni placidam tenens cathedram,
Sollerti studii calore flagrans,
Intentusq; sacris ubiq; rebus,
LEIDRADUS, specimen decusq; Cleri,
Accedit prece supplici serenum
55 Regem, postulat, impetratq; raptim,
Ut sanctissima Martyrum piorum
Nostris mœnibus ossa conderentur.
Lugduni ad placidam Joannis aram,

Qui

Qui Christum vitreâ rigavit undâ,
60 Illic cum sociis honore claro
Florens, inclyte CYPRIANE, dormis.

Sed quæso vigiles, vigilq; nostris
Intendas precibus, fuasq; nobis
Clemens & validus reis patronus,
65. Solvas crimina, conferasq; vota.

Sit quæso memor illa lingua nostri,
Quæ confessa Dei perenne verbum,
Cervicem gladio dedit secandam,
Sed Christum cecinit, silere nescit,
70. Christus jugiter hanc benignus audit,
Vel sacros populos stylo excitantem,
Hæresive malas, Deosve falsos,
Verbi fulmine funditus cremantem.

Hanc & pro populo atq; pro Patrono
75. Semper, quæsumus, audiat rogantem,
Pastorem foveat, gregem propaget,
Det munus fidei, decus salutis.

O Doctor jacer, ô beate Martyr,
Serva Pontificem piè Agobardum,
80. Qui nomen, meritum, tuumq; festum
Dictis extulit & honore compsit.

O triplex honor ô triforme culmen,
O tres magnifici piq; testes,
Sit nobis triplici ô favens precatu
85. Pollens unica Trinitas per ævum.

LEI.

LEIDRADI LUGDUNENSIS EPISCOPI LI.
Ad sororem consolatorium in funere Filii & fratris.
Stylo humili & epistolico, Spiritu sublimi & Apostolico.

- T**E, mea chara soror, percussam funere fratris
Filiolique scio; nescit privatio tanta
Absq; dolore gravi contingere, id obtinet usque:
De quorum vita gaudemus, morte dolemus.
5. Morsq; premit tantò majore cor undiq; nostrũ
Tristitiã illius, quãtò majore levabat
Lætitiã ejusdem vita optimè in Orbe peracta.
Ne doleamus enim, Naturæ extingvere jura
Possamq; haud penitus, tamen hæc lenire valemq;
10. Ut toleremus, & officium solaminis intret. (tè
Quid? quod amara licèt sit mors, quò dulcior an-
Vita fuit; tamen his gratamur justius Orbi
Cum valedixerunt, quàm fors toleramq; eosdem,
Moribus à sanctis labuntur quando fideqve.
15. Quare si nosmet Mors contristavit Amici,
Ipsa iterùm pariter nos consoletur abundè.
Quippe malis caruit, boni in hac quibus usque
teruntur
Vitã homines, aut perversi abripiuntur, utroqve
Tentanturve simul discrimine: Præripitur si,
20. Gaudendum est, ne si vixisset, peior obisset.
Sed quia vix svaderi animis hominũ valet istud,
Altius id paulò subtilius atqve putemus!
Mortales omnes morituri nascimur, atq; hic
Ipsi utero; immoritur matris, vix natus at ille;
25. Nec numerabilis est annus, mensive diesve,
Vitam intercipiat quò non mors obvia cuiqve,
Vivere qui vellet, victurum seqve putaret.
Cottidiana igitur debetur gratia, qui quod

Vixi.

- Viximus omne dedit Deus & quo viximus usq;
30. Nec quis eò doleat, quod non acceperit, ultra
Viveret ut seclum, Naturæ at debita solvat.
Quis, rogo, non moriatur, ubi dator ille salutis,
Mortuus, & vitæ, est? quis erit tam stultus, ut usq;
Vivere amet, si vita necem gustaverit ipsa?
35. Nascimur æquales, morimurq; æqualiter omnes;
Diversa est merces obitûs, sed mors tamen una
Omnibus: at flemus gemimusq;, juvare nequimus.
Luctus adest oculis, operis sed nullibi fructus
Illius apparet, quia non plangore levatur.
40. Cōdolet haud ulli mors dura, ut surda nec audit.
Nulla dat auxiliū sibi, quanquā summa, potestas,
Qui figulus quosvis terra plasmavit ab unā,
Quale scit & quando vas frangat, nec perit illi,
Pulvere qui fecit, reficit de pulvere quodque.
45. Nemo scit omnipotentis Heri jussu esse rebellis.
Quisquis adhuc igitur vivit, consideret, ulli
An prodesse queat functo? at quis egebit inanī
Planctu? præteritum sed ploravisse cuivis
Sufficiat damnum, mortemq; levare futuram
50. Præstet! nec, quod nemo post vitare, timendū est.
Illa timenda etenim mala, quæ vitare valemus
Vivi, & post mortem quæ sunt mala. Nec mala
mors est,
Nī fortasse malis, per eam ad pejora redactis;
Est bona at illa bonis, per eā ad meliora reductis.
55. Nemo sibi et vivit, pariter moritur sibi nemo:
Vivimus at Domino, dū vivimus, & Domino ipsi,
Cum morimur, morimur, ceu CHRISTUS mortu-
us est, &
Inde resurrexit, vitæ ut dominetur & Orco.
Mentē,

Mêtc, opere, ore igitur studeamus ea ipsa patrare,
60 Qvêis placeamus ei. cuius damnare potestas
Est malè viventes, benè-functos glorificare:
Qvîq; en endatam tribuit benè claudere vitam,
Non, benè qvî moriantur, eis malè-vivere
præstat.

Explicit consolatorium Leidradi.

Ad supplendam hanc pagellam, cùm Caroli Magni Epita-
phium modò præcesserit, visum est quoq; Filii & Ne-
potis ejus subjicere.

**LUDOVICI PII TUMULO METIS IN-
SCRIPTUM.**

*Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Excitus à seculo conditur hoc tumulo.
Rex Ludovicus, pietatis tantus amicus,
Qvo Pius à populo dicitur is titulo.
Hildegard soboles. Caroli Magni pia proles,
In pacis Metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, qvîcqvîd; refertur ad illam,
Arnulfi sancti contulit huicq; loco.
Stirps à qvo procerum Regumq; vel Induperantum,
Qvo cum muneribus sistitur hicq; locus.*

**LOTHARII REGIS, qvî VI. Nonas Mart. decessit,
EPITAPHIUM à GERBERTO
POSITUM.**

*Cujus ad obsequium coiere duces, bonus omnis
Quem coluit, sate Cesaribus, monumenta doloris,
Cesar Lothari, præ tendis luce secundâ
Terrifici Martis, qvîd erat conspectus in astro.*

FINIS.

D. A. R. NOTÆ IN CARMINA
THEODULPHI, ETC.

AD AIGULFUM ARCHIEPISCOPUM.)

Qvalem fuisse volunt ACTA SYNODI SUESSIONENSIS [qvæ & apud BARONIUM tom. X anno 853. num. 7. extant] *Ebbô voce propria* [inquiunt] & *Judicium peccatorum suorum, videlicet Episcoporum judicio, Ajulfi scilicet Archiepiscopi, Badaradi Episcopi, Modoini Episcopi, & testificatione testium, Nothonis Archiepiscopi & c. XLIV. Episcoporum sententiâ, ut à ministerio Episcopali recederet & sub pœnitentiâ modo Domino servire studeret. se condemnavit & condemnatus recessit.* Propter qvam ipsam causam, qvoad hæc Epistola ad Archiepiscopum data, ceu ad summum Judicem esset, reliquis eam præmisimus, ut cui ducatum v. 37. & Patriarchalem sedem primam v. 43 tribuit. Et notat Canisius primam Elegiam in Cod. M S. S. Galli alteri adscriptam fuisse, scilicet viderant docti librarii, primum locum primæ sedis Archiepiscopo deberi, ut deinde sine interruptione alteræ duæ Epistolæ Elegiacæ, ad Moduinum, & à Moduino, invicem se subsequerentur.

v. 7. *Signa puer magnæ semper virtutis habebas:)*

Colon ejusmodi hîc antea positum fuerat, qvoad rectè post *Magna* rejicimus, aliàs in pentametro nullus sensus, atqve inde apparet, Ajulphum hunc ex nobili stirpe ortum, longè annis minorem & quasi discipulum Theodulphi priùs fuisse, ut qvi tanta signa suæ virtutis in pueritia dedisset. Ex quo etiam lego:

V. 10. *Artes ingenuas studium tibi discere tantum
Exiit)*

Qvoad ultimum epitheton studii non minùs hîc desiderabatur, atq; antea alterum substantivum Artes.

V. 15. *Qui tunc Grammatico sumebas pocula fonte,)*

i. e. Poëtarum enarratoribus auscultabas, & labra proluebâs fonte Caballino. Qvoad non alienum à se putabant illustres Personæ;

H

sonæ;

sonæ, & qui aliquando Episcopi & præfules summi futuri sperabantur.

v. 18. *Magna per ora virum sat tua fama volat*) Imitatio Virgiliana & Enniana.

v. 20. *Iste referre solet*) Ad marginem legebatur: Quæ Syptegaudus. Unde versum hunc compleverat Canisius, sicuti & seqv.

- - - *Ubi probitas verumq; fidesq;*, Syptegaudus desiderabatur scilicet ab initio repetitus. Erat autem Syptegaudus, ut opinor, Abbas, à fratribus monachis electus, & à Theodulpho Episcopo mediatore inauguratus, sed ab altero Præfule pariter pulsus.

v. 27. *Est Deus in cælo*) ita quidam libri, pro *Est est in cælis*. Et sic quoq; v. seqv.

Cura sit & proprii, q. fuit antè gregis.

Sed lectio altera utrobique melior, ex recepta olim formula, quæ Deos in cælis inspectores & vindices esse clamabant, ut ap. Plaut. Cap. 22.

Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus auditq; & videt.

Livius lib. 3. *Dum pro se quisq; Deos esse et non negligere humana fremunt*. Et Manlius Tor. apud eundem: *Est numen cæleste, Es magne Jupiter.*

v. 33. *Hic vice res studet*) vel *Hic vice res studet*. Utrobique deficiente syllabâ, quare malui: *res audet quasdam querere*. Barthius: *res tendit à nobis qu. quasdam*.

v. 41. *Sunt exempla Tibi Patrum sectanda priorum, à te, ut qui caput es, per pia membra meent.*

Ita membranæ. Nec audit *Barthius Canisium* mutantem *Ate meent*. Ipse tamen Canisius tomo VI. eandem vocem retinet & legit meent. Idem explicat Dn Barthius: *Ex tuo ubere nata bona opera pietatis capiant membra tua, tui auditores, quorum tu Doctor & caput es.*

v. 65. *Et pluvie guttas, maris undas, sidera cæli, Herbarum frutices*) Sc. superant pecamina mea. Sic Mo.

Modoivus infra v. 125.

*Imber habet liquidas quot guttas, flumina pisces,
Emitit frondes quot nemus omne virens.*

Quare malim & hinc *Sylvarum frutices*, non *herbarum*, quibus sunt radices, non *frutices*.

v. 69. *Non Regi, aut proli, non ejus (crede) jugali
Peccavi, ut meritis haec mala tanta veham.*

Ita è MS. *Canisius* emendavit, ubi malè credo & meritis antea legebatur.

v. 73. *Perderet ut sceptrum, vitam, propriumq; Patronum,*

Hac tria nunquam sum consiliatus ego.

Poterat barbarismus exaudiri, ego non sum consiliatus; i. es consultus, sed cum *tria* subjiciat, cadere videtur intellectus iste.

Quidam rescribebat: *Perderem uti vitam & patronum*, id est, cum ipsum cum sua sibi vita, ut explicat BARTHIIUS IX. c. 18. Sed intelligit *Bernardum* Italiae Regem, contra Ludovicum Imperatorem insurgentem, quo ipso & regnum & vitam cum Patrono perdidit, ut cujus quasi frater vel adeo nepos foret. Tantoq; minùs è MS. legere hinc poterat *Canisius*:

Perderet ut sceptrum, vitam, propriumq; Nepotem.

Quod in Ludovicum potiùs competebat, quàm in Bernardum.

v. 84. *Diligit equum equus*) Marginalis emendatio.

v. 91. *Lampade virtutum seu rutilare satis*) Ita libri editi, sed prætulerim *to ceu h. e.* tam te scio flore bonorum redimitum, quàm lampade virtutum satis superq; rutilare.

IN EPISTOLAM AD MODOINUM) quem dignatus beati nomine.

v. 6. *Præsulis eximii Pontificisq; pii*) Augustodunensium scil.

v. 9. *Basia confestim manibus donabis amicis*) mos salu-
tandi superiores, ante tot secula usurpatus.

v. 15. *Exul, inops, pauper, tristissimus, anxius, *agens*)
ita in Editio, sed ad marginem fortè *egens*: unde Barthius vix dubitandum existimabat, quin scriptum fuisset semibarbaro sacer-

doti *egnus*, contracta videlicet voce, *egenus*, prout totum hoc genus licentiæ in talibus magnæ fuisset & quandoq; opinionem eruditionis vitiosè scribendo quævisset. Sed cum ipse statim addiderit, quod hic Theodulphus ingenio non fuerit absurdo, non mihi videtur verisimile, ipsum subiecisse *egenum*, qui jam *inopem & pauperem* se appellando præmisisset: itaq; potius pro *agens* scriptum fuit *ager*, quod summum quasi malorum erat. Ut maximè namq; extorris, inops & pauper atq; tristitiâ anxius fuisset, dummodo hæc dispositio transisset, nec animum ita occupasset, ut & ipsum & corpus simul dejiceret atq; lecto affigeret. Atq; inde paulo post v. 30. & 34. à Modoino ut medico morbum suum arte petit fugandum, & quanquã ab illo semper amatus fuerit, nunc tamen ut infirmũ se pluris fieri & amari debere sperat.

Ægrum alius natum plus pia mater amat.

v. 17. - - - *me vivere dices*

Vitam, quã melior mors bona fortè foret.) Ita malim, quã *Sortei. e. conditione.* Quamvis hæc particula aliàs gaudeat Theodulphus in hæc Epist. & ad Ajulphum, *docens magnum te fore sorte virum.*

v. 19. *Aut legit, aut docet, aut laudum pia munia complet.*)

Quo pacto correxerat *Henr. Canisius* vir eruditissimus, tom. V. Sed ipse t. VI. præfatione ad Theodulphum ultrò fassus erat, in secundo quoq; MSC. Codice extitisse: *Haud legit, haud docet, haud l.* Itaq; non opus fuerat ullius alterius correctione. Nam propterea, quod ex officio Episcopali ista, utpote captivus exequi non potest Theodulphus, vitam sibi acerbiorẽ morte ipsãmet esse dicit & ducit. Sed nec illo versu ullam Scriptori injuriam fieri putant, genitivo plurali *polũm* edendo atq; interpretando: *Cuncti patri Domino, qbi regit arva polũm.* Tamen si *α ουυ-δελος* quoq; legi & accipi posset: *Qui regit arva, polũm, i. e. cœlum & terram.*

v. 25. *Obsecro, Frater amans, nostri memor esse memento
Frater pars animi, portio magna mea.*

Ita MS. quod promulgator commutaverat in *pars animi por-*

tio

tio magna mei. Idq; τειρολογία non vacare videtur, tamen si non nemo alludi crediderit istis sacrarum literarum phrasibus; *Domini- nus pars mea! pars mea cum iusto,* & talia. Et propterea di- stinctione facile speraverit constituere & salvare:

Frater pars, animi portio magna, mea.

Quando de animæ portione quoq; eleganter lusisset *Rurici- us in Epistolis.* Ipse verò in utroq; versu repetitum istud censu- erim *Frater amans* Et fortassis à librario aut monacho inscito su- pra vocem *portio* inscripta fuerat *pars* ceu Synonyma, postea in textum irrepsit pro *amans.* V. Ennodius Epist. 9. lib. 3. Qui major animæ fuit portio frater & l. 4. Epist. 12. Dalmatius animæ meæ portio non defraudata, unde lego: *Frater amans anima portio magna mea.*

v. 41. *Hæc quis non frater timeat contagia demens?*)

Ita rectius & sonorius putem, quàm *Hæc non quis fra.*

v. 45. *Hæc mea si placidam sic nacta plaga medelam*)

Antea sic, per positionem Græcānicam aut adeo cæsuram, ut apud Maron, *date tela: scandite muros.*

v. 65. *Solius illud Romani præsulis exstat*) majusculis hæc sanè ad istam faciem expressa erant, sed ut per se arrogan- tia, ita quoq; ferè barbara & canones Grammaticorum & Icto- rum impingentia, itaq; levi transpositione sanata, quoad rem ipsam aliis excutienda relinqvimus. Certè iudices non inferio- res requisivit.

v. 67. *Mittere, chare mihi, libuit Tibi carmina, quædam*)

Quod in margine Epistolæ ad Aigulfum statim tertio disti- cho frontispicii adjectum fuerat, id haud dubiè in hunc & se- quentes versiculos meliori jure quadrasse existimo: *In MS. nul- lus titulus est, sed immediatè versus conjuncti sunt; patet tamen, esse aliud Epistolien Theodulphi.* Aut certè interjici potuit hæc narratio ad v. 219 usq; eidem Epistolæ ad Modoi- num, quod ille hujuscemodi poëticis oblectaretur. Ita namq; wALAFRIDUS ad eundem scripserat Episcopum:

Gloria quæ vestris inolevit magna Camenis,

H 4

Ne

Ne lateveret nostros, cernuus oro, trochos.

Quamvis multa canas, seclī celebranda catervū,

Nos apud es mutus, fama quibus minor est.

Ne pater alme sinas, cunctis quod spontē ministras,

Expertem memet muneris esse tui. &c.

Sit Dominus tecum semper, tua gratia mecum,

In Domino, VATES ō MODOINE, vale!

v. 70 - - - *miracula visa*

Dicuntur, breviter hic quibus ista canam.)

Quod adverbium Pronomini prætulerim *hec*, cui aliās copularetur *ista*, ingrato sono & insueto, nisi quis pro *hec* præferat
nunc.

v. 71. *Est fluvius, Sartam Galli dixere priores,*

Perticus hunc gignit, & Medana bibit.)

De siccitate mirabili cujusdam fluvii Gallicani, apud Normannos scaturiginem habentis & hos à Cenomannis (quorum urbem præterfluit) suo cursu separantis, SARTHÆ dicti; de quo legitur *in Vita Domnoli Episcopi. Car. Steph.*

v. 82. *Alveus ac plebem ad interiora vocat.) Canisius*
è MSC. ut ea capiant, quæ intus in alveo jam siccato legerentur. Veluti sequitur:

v. 93. *Non ad piscandum quis quærit rete vel hamum.)*

Ita namq; ad marginem Bibliothecæ Patrum tomo IX. à Canisio puta, qui & tomo VI. antiquæ lectionis, in præfatione, Theodulphi carminibus præscripta eandem variantiam adstruxit.

v. 92. *Tale vadum juvenis si olim Leandrus haberet)*
pro habuisset.

v. 93. *Non foret insignis tam tibi lucus Ero)* Spiritum asperum diffimulans & ita Græcum, syllabam primam corripuit, quasi Amorem potius, quàm Heronem alloqueretur.

v. 97. *Ille fat urbs timuit, peteret ne se unda tumescens*

Obruere: q; simul compita, rura, domos.)

Ut quondam Ægyptios mare Erythræum.

v. 99. Sa.

v. 99. *Saxa patent ignota polo, polus ipse patescit
Saxis cum propriam linqueret humor humum.)*

Sic Alcimus Avitus lib. 5. de transitu maris rubri:

*Aspectum injiciens scissis Sol torridus undis
Ignotamq; novo contingens lumine terram,
Ima laborantes radios ad tartara ponti
Vix misit, fessumq; jubar vix extulit imis.*

v. 101 *Quae vada nulla dabas pediti illic, Sarta dedisti
Grande vadum, caligas cum tua saxa stupent.)*

Caligas propriè dixit pro calceis vel tegumento pedum militari. Optimè in hanc sententiam SEDULIUS lib. I.

*Pervia divisi patuerunt cœrula ponti,
In geminum revoluta latus, nudatq; tellus*

*Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perq; profundum*

Sicca peregrinas stuverunt marmora plantas,

Et sic noster paulo ante v. 89.

Vel pes siccus eius, modicum vel planta madescit.

v. 115. *Bis partem undenam soliti rota Solis Aquarii*

Scanderat, in sextâ Lunaq; Piscu erat.) Diem, quo illud contigisset, ait fuisse hanc, quo Sol in parte 22. Aquarii, Luna vera in sextâ piscis fuisset.

v. 117. *Tale quod asseverant)* Si hoc verbi inde ducatur quod *severè* & constanter aliquid affirmetur, tum secunda illa vitiosè produceretur, quare & ipse hîc lubentius scripserim:

*Tale quid affirmant, & flumen Idonea passum,
Id quod ab urbe fluens sat propè sarta bibit.*

Videtur *Idoneus* fluvius & ipse Gallix, alterum illum majorem Sartam non longè ab urbe Cenomannicâ influere. In MS. fuerat: *Tale quid asseverant a flumen Id. p.* Inde jubet *Canisius* extundere veram lectionem qui possit.

v. 119. *Quere locum ex aliis, Dei tibi tempora dicam.)*
Ita in MS. sed in margine: *diei media brevi, ut in fidei & rei, cum*

propter istud e purum, præcedente vocali, extendendum omnino
nò fuisset. Nisi fortean dissyllabicòs *Diè* illud utrobiq; produ-
ctum legeris, quemadmodum non nemo apud *Tertullianum*
lib. 2. advers. Marcionem:

Qua die, quove loco cecidit carissimus Adam.

Tametsi hìc *Fabricio* potius ultimam corripuisse videatur,
ut in lib. de iudicio Dn.

Et dies in densa moritur cum lumina nocte.

Sensus autem in Theodulphi hoc carmine is est, quod cum
Idoneus fluvius & ipse exiccaretur, postridie istud contigerit,
cum altera præcedente luce Sartæ hoc usu venisset. Sed nescio
an Latinè quis ita loqueretur:

v. 120. *Crastina præfata res fait ista rei:*) de re præterita,
i. e. die proximè subsequente rem prædictam, res altera obrigit.

v. 125. *Non id aperta canit, nec erit vox semper operata*)

Quamvis *aperta & operata* vox opponi hìc videretur, attamen
quia præcedaneo versu dixerat, quod per ipsum alii *nosse futu-
ra velint*, itaq; majusculà hìc rescripti *Aperta canit*, I. Phoebus
vaticinator, ut apud Cic. vetus Poëta: *Dictio Aperta*.

v. 131. *Quod mihi Gerbardus retulit, Paschasius illi:*)
de pugna sc. avium. Videtur hic Paschasius fuisse, qui de Sacra-
mento Eucharistiæ scripsit.

v. 143. *Nam Zephyrus parvas Aquilone adunxerat illas*)
ita *Bibliotheca Patrum & Canisius*, sed ad marginem *Aquilo-
nis vexerat*, sed restitui:

Nam Z. parvas Aquilone advexerat illas, i. e. vel
à meridie vel à septentrione convolaverant velut in duos exer-
citus, seu adeo.

Nam Z. ephyrus sparsim has, Aquilone adduxerat illas.

v. 174. *Maturum & folium jam veniente gelu*)

Sc. cadit. *Canisius* ex altero MS. A. Lect. tom. VI. p. 502. Lo-
quitur de defluvio foliorum instante hyeme.

v. 193. *Di-*

v. 193. Deniq; circa Ararim pigrum Rhodanumq;
(rapacem) i. e. propè Lugdunum, ubi Rhodanus Arari auctus
fit rapidissimus, Rhodanumq; morātem præcipitabit Arar,
juxta Lucanum l. 7. Et Claudian. *Quos Rhodanus velox, A-
rarū quos tardior ambit.* Vide N ad carmen Incerti Constan-
tinæo ævo scriptoris de laudibus Domini:

Tardus Arar pigrumq; diu vix explicat agmen.

v. 198. - - genus omne volantum,

Quas Europa, tuus nutrit opimus ager)

Hanc veram esse lectionem ex altero exemplari calamo ex-
arato adstruxerat ante *Barbium Canisius* tomo VI. sicuti
quoq; ibidem:

v. 209. *Egit idem Æmathiis populus Romanus in arvis*

Cum fera bella gerunt hinc socer, inde gener.)

i. e. Julius Cæsar & Pompejus in campis Pharfalicis. Pessimè
verò in Biblioth. PP. *hinc soror, inde gener.*

v. 213. *Nempe due volucres magna vavisse feruntur)*

Ita MS. sed ad marginem & tom. VI. Canisius *avolasse fe-
runtur*, quod propter primam syllabam tolerari nequit, itaq;
legerem, *rediisse*, aut sanè *volitasse feruntur.* (cum,)

v. 219 *Quando erit illa dies, cum nostrum intrabis in hor-*

Postquam superiores narrationes interspersisset, & salivam
Modoino movisset, ad ipsam epistolam, tanquam è diverticulo
in viam redit, & optat, ut ipse Modoinus aliquando ad Theo-
dulphum visat, & hujuscemodi jucundis confabulationibus sati-
etur; Sin minus, fidelem saltem internuncium ad ipsum mittat:

v. ult. *Qui tua grata mihi perferat orsa. Vale.)*

Nequaquam verò: *præferat ossa.* Quod omnes editiones ha-
bent, tamen *perferat* ex altero MS. attulerit *Canisius*; *ossa* ta-
men in emendata reliquit.

AD RESCRIPTUM MODOINI.)

Ei enim expressè elegiam hanc adscripserat primus Codex
manuscriptus *Canisii.*

v. 3. *Sed prius accipiter nec tentat vivere in armis,
Quam instructus proprii hoc more parentis agat.*)

Quem Pentametrum ut maximè probo, tametsi & *structus* interdum idem valeat atq; *instructus*, ut apud Livium I. ab Urbe. *Postquam structi utrinq; stabant, cum pauci procerum in medium Duces prodeunt.* Quæ *instructio militum* apud Cic. de Nat. Deorum est. Et *structores*, qui eidem Tullio post redit. In Senat. *Instructores convivii.* Ita verò Hexameter ille non arridet, ut pote à sensu & gratia omni alienus, quocirca aliam lectionem supra instillavi, vel adeo sic quoq; legerim:

*Haud prius Accipiter nec tentat vivere inermis,
Quasi Accipiter enectis & laniatis aliis avibus solummodò vivat, has autem nisi ungvibus benè armatus & à parentibus benè instructus lacerare nequeat.* Sic Varro

- - - *pisces ut sepe minutos*

Magn' comest, ut aves enecat accipiter.

Et ipse Theodulphus in parænesi:

Fortior invalidum, atq; pusillum comprimit ingens,

Crescit & hinc major, deficit inde minor.

Hæc canis accipiterq; gerunt per littora curva,

Hoc epus in silvis, pisci in amne facit.

Sic fera sepe ferâ, serpens serpente necatur. &c.

v. 5. *Utiliter puer in primis non militat annis,*

Digna sed expertus præmia tiro capit.)

ita Canisius. *haud ablusit verò ab hâc sententia Dracontius in fine.*

Non catulaster agit puerilia, nec puer aude

Attrectare tener martia tela manu.

v. 7. *Non audet nam nauta ratem intrare absq; paratu)*

Et hoc ita transposuerat & mutaverat Canisius credo, ut saltem casuram illam duriores devitaret: *Non audet intrare ratem nauta a. p. ex quo & ipse feceram: Non audet transire fretum nauta absq; paratu,* Sed nec hoc usquequaq; placet

cet)

et, quando sequatur Tiphys Argonauta & argonautarum focus, atq; sic *nauta* prior otiosus & superfluus videatur. Verum enim vero ut præcedaneo disticho militanti primis annis puero tyro exercitatus opponitur: ita *nautæ* sine paratu Tiphys hinc in sequenti, Quocirca sic emendârim:

Non audent intrare ratem nautæ absq; paratu:

Tentatne alvigeras Tiphys inermis aquas?

v. 15. *Et molli durum nunc ceræ inducere ferrum*

Cogor) i. e. stylo arare campum cereum.

v. 20. *Sapè etiam didici hoc & ab ore tuo)*

In Cæsura plerumq; spernit elisiones, præsertim adspiratione sequente, ut statim

Sed de medicis hoc quoq; jure potest.

Apparet autem exinde, ut & ex prima ad Aigulfum elegia Theodulphum olim summæ spei adolescentibus instruendis præfectum, atq; sic quoq; Modoino magistrum fuisse.

v. 23. *Nonnulli affirmant etiam insanire Poëtas,*

Carmina dum statuunt, mente carere sua.)

Id est esse extaticos & de potestate mentis exire, non quod ipsa carmina mente careant, sed ipsi Poëtæ alienatione divina quasi extra se rapti summa quæq; concipiant. Cicero 2. de Oratore: Sapè audivi, poëtam bonum neminem (id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine afflatu quodam furoris. Et Claudianus 1. de raptu:

Jam furor humanos nemo de pectore sensus,

Expulit & totum sprant præcordia Phœbum.

v. 26. *Ordine ab amisso longius ire suo)* sic malim, quamvis in Cæsura elisiones non curet Corippus.

v. 34. *Cernuus hec æquus respice queso oculis.)*

Barthius lib. XIX. c. 17. *Ævum* scribit, degenerans à puritate sermonis Latini non solum corrumpit vocabula, sed integris etiam aliam significationem à nativâ dedit, ut hic in Epist. Modoini & Jonæ Aurelij hymno de Ludovico Imperatore

tore

core *cernuus* in laude ponitur, cum humilitatem commendant.

v. 37. *Sapè tuam ingeminans luxi pius ipse ruinam:*)

Ordo hic est: Ipse pius & misericors luxi tuam ruinam, sæpius ingeminans & repetitis viribus inclamans illud, quod sequitur.

v. 30. *Probdolor, amisso, Prasul honore peris!*)

Sic enim scribendum esse prodit succedens distichon, ubi eum & is hoc honore maectavit, quod non ut sacerdos modo sed & ut Episcopus exilium pateretur.

v. 39. *Exilium innocuus pateris pertriste Sacerdos, Inclutus expertus Prasul enorme malum.*)

Nec *anorme*, nec quod Canisius maluit, *inorme* primam brevi plus valebit, quam *enorme*, uti rectè quidem scribitur. Nam hoc Christiani Poetae licentiã quadam corripunt, quod Fabricius in indice comment. in illos dudum observavit p. 48. *Enorme* pro valde magno, cujus norma seu mensura vix iniri potest: prima sitidem (ut *enerve* sc. apud Prudentium bis) brevi. Sedulius l. 3. v. 426.

— *Et septem panibus agmen pavit enorme virum.*

Ipse quoque Theodulphus noster infra in Parænetico ad iudices v. 405.

Esq; auriga malis, pondus enorme bonis.

Et Metellus Quirinal. Ecloga 4.

v. 46. *Id quod ovans simplex pectore turba colit)*

Quid si sic: *Simplice si quid ovans pect. t. c.*

v. 49. *Ipse Severinus magna est reiectus ab urbe*

Consul.) Romanam puta Anicius Severinus Boethius, à quâ ipsum Theodericus princeps in Italiam rerum potitus & calomniis occupatus renoverat & Ticinum in carcerem miserat, ubi aureolos de Consolatione libellos scripsit: autore Sigeberto Gemblacensi sub ann. Christi DXVII. Male verò prius scriptum fuerat *Ipse Verinus*, quod ex altero MS. jam dum Canisius tomo VI pag. 506. ante Dn. Barthium emaculaverat, quem & ipsum vide l. X. c. 18.

v. 53. *Vul-*

v. 53 *Vulnera seua suo fertur sumpsisse Tyranno*

Seneca Praeceptor, (vel: discipuli) caede Neronis obit.)

Qua de re apud Tacitum. MS. habuit. *Sede Neronis obit.*

v. 55. *Plures sudasse nefandum exilium*) nescio an Romanorum ullus ita dixerit. Nam licet Virgilius Ecl. 4 scripserit

Et dura quercus sudabunt roscida mella,

pro *exudabunt*, attamen hic potius pro *exantlasse* capitur.

v. 63. distinctione sanatus, valde prius turbidus, & pro *namq;* reposui *nostrae* quod scil. feritas fidei gentilis, nostrae Christianae inimica esset. Nec minus perturbatus erat alter, hujus versiculi quasi interpres:

v. 67. *Depositâ jam pace frui, feritate serenâ
Debuit.)*

Quis non videt, nequaquam pacem deponi oportuisse, sed incultam illam & repugnantem atq; inimicam fidei fidelibusq; feritatem: quare omnino traiectione opus fuit, quod neminem animadvertisse mirum fuit.

v. 74. *Pro fratris pulsans utilitate sui)*

phraseologia Ecclesiastica, *pulsans*, pro rogans, ut aperiatur alteri. Id quod ita ipse explicat Modoinus, quod ille non sit cessaturus certare precando pro reditu Theodulphi.

v. 82. *Proq; tuis damnis ambiciosus ago.)*

Propria significatione verè ambio, pro tuis damnis averteendis, amicos.

v. 83. *Hæc te nosse reor quoniam citò spargitur Orbe
Fama celer toto, aulica dicta gerens.)*

Quamvis, ut toties inculcatum, hujusmodi Scriptores in medio Pentametri nullas ferè cutent elisiones, & omnia caesura sua defendere cupiant, prætulerim tamen h. l. *publica dicta gerens*, quasi nescire haud posset Theodulphus, quæ fama publica per totum orbem sparsa loqueretur. Atq; inde quoq; legerim seqv.

v. 85. *Scis, quod ab infesta hac demum regione movendus)*
quamvis & alterum tolerari possit, famam susurrare, quod sis *movendus.*

Cesare

Cæsaris ad nitidum limen iturus iter.) i. e.

Ad aulam Ludovici Imp. de quo V. C. Baronium tomo IX. anno IV. Ludovici Imp. Consciens enim erat conjurationis Bernardi Regis Italiæ in Ludovicum & hinc cum aliis in exilium actus.

v. 88. — *Letumq; videbis jamdudum vultum)*

Sed ego melius primam illam pentametri vocem divellendam putavi. — — — *Letumq; videbis*

Jam vultum, dudum qui tibi tristis erat.

v. 94. — *Pro quo huc itur ipse fores)*

ita prius, sed ad marginem Canisius: *huc situs ipse fores*. Et sic in altero MS. sed forte melius *sic situs ipse fores: i. e. pro qua re aliàs ita in carceris sequalore veluti civiliter mortuus. positus fores.*

v. 95. *Elige, sed quid agas.)* Canisius *si quid agas, ego quicquid agas.*

v. 96. *Consilium melius mente teneto, precor.)*

Ita Editiones.

v. 97. *Sed mihi met melius visum est, ut sponte fatetur)*

Sic pariter libri. sed rectius — *id sponte fateri*

v. 104. *Amissum ut possis rursus adire gregem)*
vel *gradum*. ut è MS. Canisius.

v. 109. *Maibfridum vestris appellat Epistola dictis.)*

in MS. *Maifridum* Canisius reperit, qui nesciebat, quis ille fuisset, in aula tamen Ludovici Imp. vel Episcopum vel Diaconum fuisse putabat. Auctor vitæ Ludovici Pii coætaneus, qui pro Aimoino lib. 5. editus & habitus capite XVI. inter Lotharii asseclas proceres anno 837. commortuos Heliam Trecaffinæ urbis Episc. walonem Corbejenfis monasterii Abbatem & Maifridum posuit, ut & cap. XV. ubi *Maifridus* Neustriam vel Normanniam pro Lothario propriâ vi tenere voluisse fertur; eumq; Theganus p. 320. *maximum* incentorem omnium illorum *malorum* vocavit Nichardus dicit *Maibfridum* p. 436. & 438. *Dum Lamberus & Maibfridus, quis illorum secundus*

duo

duo post Lotharium in imperio haberetur, ambigerent,
dissidere cœperunt. Agobardus etiam Lugdunensis Episcopus
pag. 578. ad Matfreum illustrissimum Palatii procerem
& præcellentissimum deploratoriam misit epistolam de inju-
sticiis, quod multi talium putarint, illum esse murum inter se &
Imperatorem, per quem defendantur à correctione, cum poti-
us debeat esse murus in augmento felicitatum, qui noxios expu-
gnet, innocentes tueatur. Quoniam ipsi tanta familiaritas, quam
apud Dn. Imperatorem obtinere Deus illi fecerat, pro magno
talento spiritali ab ipso omnipotenti Domino ipsi computanda
sit, ceu boni Imperatoris adjutori.

v. 112. *Navisragoq; pio ferte patrocinium!*)

Hoc malim præ naufragio Canisii, aut aliorum intolerabi-
bili naufragioq;.

v. 117. *Nullum unquam obsequium tibi, nam mihi
crede, negabo.)*

Et hoc supplevit Canisius tomo VI. Quia Theodulphus in fi-
ne suæ Epistolæ præcedentis rogaverat, ut fidum aliquem suo-
rum ministrorum sibi transmitteret, qui Modoini orsa & volun-
tatem ipsi perferret. Id obsequium ei præstiterat, talem nuncium
ad ipsum dirigens, qui & fideliter sineq; fraude, Theodulphus
quæ scire vellet, Modoini loco narraturus esset, sed & vicissim
mandata illius ad herum suum hunc verbotenus relaturus esset.

v. 120. *Quæcunq; ut mandes ille mihi referet)* Editi libri:

Quæcunq; ut mandas, ille mihi referet. Sed fortè

Quæcunq; huic mandes, ille m. 2.

In Carmen Theod. ad LUDOVICUM Imp.)

Ex Bibliotheca S. Galli per Canisium primum editum.

v. 123. *Quod caro vult parcè mens quid & optat amat.)*

Libb. Editi, sed ita oppono:

Quod caro vult, parcè: mens quod at optat, amat.

i. e. quod canis & naturæ aviditas desiderat, id tu parcè vis; amat
autem quod mens optat.

v. 32. *Plus oribodoxus est tibi nemo super.)* i. e. nemo
super

superest magis orthodoxus, quàm tu. Et sic versu sequ. qui fortassis clarior fuisset, si ita legeretur:

Nemo tibi superest similis pietate vel actu.

v. 37. *Non remet mi Rex, Lambus non aureus inflat)*

Canisius fortè *Limbus* legendum rectè conjiciebat, sed *non aureus* tamen retinuit, cum potiùs eam ipsam ob causam Imperator cornua potuisset tollere, quod totus esset aureus. Quocirca pro *non legerim nobis*, aut *plane aureus*.

v. 38. *Non diadema micans mentis in arte sedet.)*

id est, in capite.

v. 41. *Moribus eximius, rutilus bonitate coruscus)*

Ita vulgo, sed commodiùs *moribus eximiis* nec nò *rutilus bonitate coruscus* componuntur.

v. 43. *Teg, tuas laudes liquido depromere nulla*

Vox potis est) melius visum: Te, laudesqve tuas.

AD HYMNUM IN DIE PALMARUM.)

Quod apud Baronium valdè corruptum legitur.

v. 3. *Israel tu Rex Davidis & inclyta proles,*

Nomine qui in Domini Rex benedictæ venis.)

Non mihi fit dubium, quin Theodulphus, dum hymnum hunc in honorem Salvatoris sui componens, oculos tamen & mentem ad Ludovicum Imperatorem direxerit, atqve ita per obliquum saltem eum palpo percutere voluerit, ut quem mediatè speraret redemptorem & liberatorem suum. Eundem vocans Regem Israel, seu Christianismi Christianissimum Imperatorem, & inclytum Davidis seu Caroli magni filium, & Regem benedictum. Sic ipse ad eundem Ludovic. carm. præcedenti:

Es quoq; pacificus, sapiens, Salomonis ad instar,

In specie es Joseph, viribus inq; David.

& mox: *Inde Deus tecum, Rex benedictæ, manet.*

Est autem Israel, nominis indeclinati genitivus, ut in hymno Zachariæ: *suscipit Israel puerum suum*. Pessimè verò quidam verbum substantivum secundæ personæ subiecerant: *Israel es tu Rex*. Sicuti quoqve in annal. Baronii legitur. Cum nomen illud proprium Israel molossum constituat.

v. 8: *Cum*

v. 8. *Cum prece, cum hymnis adsumus ecce tibi.*)

Sic vett. ferunt Editiones & MS, exhibuisse, ut nequaquam per
ecthlipin *cum* elideretur propter aspirationem, quod solemne est
Theodulpho, ut in parænesi v. 253.

Multaq; cum habeat, vel docet esse suum.

Sic Fortunato, Capellæ & aliis sæpè H. consonans est. Sed cum
universalis Ecclesia recepisset postea hunc hymnum, credo ne of-
fenderent pubem literatam, interpolarent ita:

Cum prece, voto, hymnis adsumus.

v. 10. *Rex pie, Rex clemens, cui bona cuncta placent.*)

Hæc Epitheta cum primis Ludovico, hanc gloriam affe-
ctanti, placebant, ut *Pius* ille communiter nuncuparetur, quem
quod tangat altero carmine, quod cujusdam Presbyteri nomine
eidem Imperatori Ludovico scripserat Theodulphus, infra innuit,
cum sic incipit:

Rex pie, Rex clemens, almæ virtutis amator.

Et Jonas Aurelianensis de eodem Ludov. pio:

*En adest Caesar pius & benignus, Orbe qui toto ruti-
lat coruscus, Atq; præ cunctis bonitate pollet, Munere Christi.*

v. 13. *Nos facit Hebræos transitus ecce pius.] i. e.*

Supplicatio publica, pro more Ecclesiastico, processione solenni
celebrata, nos licet Christianos, non Judæos, Hebræos tamen velu-
ti adoptivos efficit, dum per sanctam Christi passionem transimus
à morte ad vitam, à tenebris ad lucem, à servitute ad libertatem, à
vitiis ad virtutem: Nam *Heber* inde dictus transfluvialibus Abra-
hami posteris Hebræis transitionem significat, v. Iod. Clichtho-
væus p. 33.

v. 22. *Et tibi victrici sorte canamus ita.]*

Quia scilicet palma victoriam notabat, itaq; & hanc nobis con-
cede pro his oblatis palmæ ramis, ut victrici sorte velut in trium-
pho cantemus & acclamemus ita Tibi:

Gloria, laus & honor tibi sit Rex, Christe, Redemptor,

Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.]

Quod ipsum distichon ut auspiciatum fuerat hymnum hunc,
ita eundem videtur repetitum hic conclusisse.

I

AD

AD HYMNUM DE NATALI DOMINI.]

Qui metro trochaico tetrametro scriptus, sed nimis licentiosè, ita ut alteri duo trochaici in Caroli & Lotharii adventum ab eodem pariter scripti aliquantò elaboratiores videantur: quare levi nonnunquam brachio opitulari studuimus, ut

v. 16. Palmo cœlum qui metitur, terram claudit pugili.]

Pro pugillo. Qui versus nauci prorsus erat, quare ita scripsi:

Qui polos metitur ungue, qui pugillo ambit solum.

Et v. 27. Ex te sperant lætabunda Angelorum agmina]

sed restitui tagmata, quia voce aliquoties tripudiavit noster, ut in eiq. carm.

Chorus Angelorum Tagma cœlestis Solymæ supernæ.

AD HYMN. DE. SS. MART. SERGIO ET BACCHO.

Pangite cœli, reboemus adas) interjectionem ô olim interjectionem fuisse, prorsus ego persuasus sum, sicuti quoq; in v. 9. *fausti Athletæ* Frequens & tritum est Theodulpho verbum *boare* & *reboare* pro clarè cantare, ut carm. seqv. v. 44.

Pacicanosq; boat montis in arce pedes.

v. 36. Amos Se vidisse boat mystica plura satis.

v. 2. Alma promamus Domini tropæa]

h. e. Dominum in membris suis triumphantem exaltemus, & martyrum palmas, veluti tropæa totidem, suspendamus eidem. Damasus Epigr. 36. de S. Stephano: *tulerat qui ex hoste tropæum,*

Martyrium primus retulit.

v. 6. Sergius, Bacchus, socii coronâ, carnis à Claustro pariter migrando] Collegas in triumpho hosce duos fratres nobiles Romanos fecit, veluti socii in laboribus fuerant, & eodem die per aspera ad astra migraverunt, Nonis puta Octobribus, sub Maximiano Imperatore, quorum Bacchus tam diu nervis crudis casus est, quoad usq; toto corpore discissus in confessione Christi emitteret spiritum: Sergius verò clavatis cothurnis pedes indutus, cum in fide fixus maneret, datâ sententiâ iussus est decollari: cuius nomine locus, ubi quiescit, Sergiopolis appellatus, ob præclara miracula frequenti Christianorum concursu honoratur. v. Baronius in martyrol. ex Nicephori lib. 7. c. 14. & l. 15. c. 26. & 27. ubi & de reliquiis ejusdem Martyris S. uti & de ejus in Galliis quoq;

quoq; notissimi pollice egit Gregor. Turon. histor. Franc. lib. 7. c. 31^o

v. 14. *Vos decus, virtus, sequiturq; schema,*

Esse caelestis meruistis Agni sanguine loti:]

Ita hæc distingvenda, quod hi martyres Christi sanguine, ceu rore salutis roseo nitidati & purpurati fuerint. Multæ in hoc hymno quasi affectatæ sunt voces Græcæ: ut *cosmus, tagma, Zabolus, nosos, topus, somata, iatria, doxa, pneuma* &c.

v. 23. *Tagma caelestis Solymæ supernæ Consona cantu]*

Nescio, an tagma fæminino genere posuerit, ut Plautus *Schema*; an potius, (ceu Canisio visum, qui post Supernæ punctum interjecit.) *Consona cantu*, referantur ad omnia præcedanea, quæ votis & cantu consona sint, videlicet polus, unda, tellus, chorus angelorum & supernæ Solymæ tagma.

v. 37. *Sospitas agris, medicina lassis vosq; caelestis.]*

Canisius pro *insignia*. sed seqv. versu malui *Rosq; caelestis*,

Notavi autem alibi, hoc & præcedaneum garmen WALAFRI-
DI verius, quàm THEODULPHI esse.

AD CARMEN BIBLIIS PRÆSCRIPTUM.]

v. 6. *Pandit iter heremi lympha ibi lexq; datur:]*

quod mendosum, levi traiectione reparatum fuit, *Pandit heremi, iter & l.*

v. 8. *Et typicè exponit dona sacris typicis]*

fortasse meliù legeretur: *Et tropicè exponit dona sacris typicis.*
vel etiam *Et templi exponit dona sacris t.* ne bis eodem versu eadem vox recurrat.

v. 13. *Navegius Heros]* Josua, filius Nave, cujus primam corripuit Alcimus ad Soror.

Quidve etiam ille Nave Mosi successor Iesus Gesserit.

v. 15. *Pridem iudicibus, quis ordo cucurrit & actus]*

interferta modò copulativa, redintegrabatur & hic versus, nisi & hunc trajicias:

Judicibus qualis pridem ordo cucurrit & actus

Continuante stylo concinit inde sequens.]

sc. liber, qui versu 13. præcesserat. Malè antea cecinit pro
concinit.

v. 16. *Mox se dant, quæ Ruth Moabitis fœminâ gessit*] Sic scripserim præ altero *Moxq; sedent*, quod minimè sedenti Moabitidi conveniet, sed fortasse paulò post v. 23. Prophetæ Esaiæ melius, quamvis aliquoties ita loquatur v. 79. 84. v. 19. &

iniqvi gesta Saülis] v. Alcimus l. c. *reprobo qui successere Saüli.*

v. 21. *Tertius & quartus Malachim quæ nomen in hæsit, Regum Hebræorum, ordine gesta canunt.*]

Quia versu præcedaneo de primo & secundo libro Regum dixerat, qui communiter Samuelis inscriberentur, tertium & quartum verò, quibus propriè *Regum* seu adeò Hebraicè *Malachim* nomen remansisse voluit, eorundem gesta retulisse. Ne itaq; τавтоλογία committatur, ita ut posui, distingvas, post v. 21. Comma ponens & illud è medio 22. versûs auferens.

v. 28. - *Stirps qui hominis more vocatur Eri*] fortè scribendum *hero*, ut alibi *Ero pro Hero* Leandri amasiâ Carm. 2. v. 92. omisso pariter spiritu aspero. puto autem hanc mentem hujus versiculi esse, quod Ezechiel Hero seu domino Deo vocitetur crebrò *stirps hominis*, i. e. ein Menschen Kind.

v. 31. *Nam mœcham & prole & Joseph creber intonat Ose*] Ita libri Editi, sed reposui *Crebrò* ut vitium illud tollatur, quo *creber* primam corrigebat.

v. 35. *Quatuor eq; tribus probris regna increpat Amos*] Ut supra Epist. I. v. 32.

Actibus eq; tuis mens mea leta manet.

i. e. propter actus tuos lætor. Goldastus ad Columbanum legebat pag. 486. *Quatuor eq; tribus probris*. quasi licentia quadam ultimam in adverbio *eq; tribus* contra legem pediam corrupisset & corripuisset; verum enim verò vitia nequaquam multiplicanda, sed potius minuenda erant, præsertim cum expressè Amos capite I. v. 3. 6. 9. 11. 13. ut & seqv. capite v. 1. 4. 6. toties repetitis iisdem verbis inculcet, quod *propter tria & quatuor crimina nolit parcere nec Damasco, nec Gaza, nec Zor, nec Edom, nec solis Ammon, nec Moabitis, nec Judæ, nec Israëli.* Similis quoq; locutio est cap. 5. Michæ: *Septem pastores & octo principes concitabuntur.*

v. 41. *Filia*

v. 41. *Filia latronis vastatur fœmina Michæ]*

Cap. 5. v. 1. *Nunc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virgâ percutiant maxillam Judicis Israël.* Intelligitur autem per *filiam latronis* Babylon, quæ nequamquam erat *fœmina Michæ*, quamobrem rectè hîc legetur *famine Michæ*. Columbanus monosticho 183. - *falsus per famina testis.* Ubi vide Goldastum & Alcuin. carm. 112. Hæc, Benedicte, tibi monachorum recta dicata, *Quorum vita fuit famine scripta tuo*

v. 43. *Voce Naum pulsat constanti sanguinis urbem
Pacicanosq; boat montis in arce pedes.]*

Nahum 1. *Ecce super montes, pedes Evangelizantis & annunciantis pacem.* Vide quoq; Goldastum ad Columb. p. 484.

v. 45. *Abbacuc interno Christum in cruce spectat oculo]*

Quæ levis transpositio versum magis sonorum reddit. De oculo verò *interno*, sive mentis multa exempla habes apud Barthium in *Advers.* è *Scriptoribus Ecclesiasticis* petita.

v. 46. *Cornibus his vis est, ejus operta tonat.]*

Habbacuc 3. *splendor ejus ut lux erit, cornua è manibus ejus: ibi abscondita fortitudo ejus.*

v. 47. *Promit Sophonias à portu & colle quod audit,
Plangorem indigenis fert quoq; , Pila, tuis] Cap. 1.*

Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à portâ piscium & ululatus à secunda, & contritio magna à collibus. Ullulate habitatores Pila, i. e. molæ, sive ipsius urbis Hierosolymitanæ, quæ ex ipsa Ecclesiastica templi occupatione fecerat negotiationem & machinam molinariam.

v. 51. *Michâ Zacharias postquam videt ordine plura]* non *Micheâ*. H. e. licet Propheta Micha & ipse quoq; locum natiuitatis Christi prævidisset, plura tamen de Salvatore nostro, de Iesu magno Sacerdote, lapide angulari, ejusq; in urbem Hierosolymitanam pacifico ingressu, ut & baptismate vaticinatus fuerat.

v. 53. *Munera Malachias populi inquit abacta prioris,
Agmina cumq; suis gentium amata Deo.]*

Nihil enim magis hic Propheta inculcat, quàm mensam Do-

mini contaminatam, quia munus languidum & claudum obtulis-
ent de rapinis, atq; sic lacrymis altare Domini operuissent, qui
dispertisset virum, qui fecisset hoc, magistrum & discipulum, de
tabernaculo Jacob. cap. 2. v. 12. & 13. & cap. 1. v. 11. 12. 13. ubi
promittit, quod ab ortu Solis ad occasum nomen suum glorificare
velit inter gentes, munda munera & holocausta oblaturas.

v. 55. *Job quoq; verba tenens cum gestis inde libellus.*]
i.e. Sequitur inde liber, qui verba & gesta tenet Jobi. Ubi quidem li-
cebit observare veterem seriem librorum biblicorum, in qua post
veteris testamenti libros omnes demum ille Jobi, Psalmorum
Davidis, & tres Salomonis, cum fragmentis Danielis, Paralipome-
non libris, Esdræ quoq; & Esther, item Sapientiae, Syracidæ, Tobiae
Judith & Maccabæorum ultimo tandem loco succedebant. Qui
tamen ordo apud Alc. Avitum alius est & ferè hodierno concor-
dans, nisi quod præter Esdræ & Tobias ac præter Hesteram Ju-
dith quoq; præcedant Hiob, quem Psalmi & Salomonis libri
sequantur. Ordinem verò illum Biblicum à CHRISTO quoq; incul-
catum, quo quicquid in Moyse, Prophetis & Psalmis extat, citavit,
etiam alii ex Latinis secuti sunt. Quos inter ALCUINUS carm.
L. cum Perfridus Biblia describi fecisset, ea de re ita fuit testatus.

*Continet hic uno sanctus sub corpore codex
Omnia, tamq; novæ, ac veteris mysteria Legis.
Hic fons est vitæ, sunt hic præcepta salutis,
Hæc est sancta fides, hinc est cælestis origo.
Hunc dictante Deo scripsere in secula Sancti:
Legifer ille pius quicquid conceperat olim,
Venturum quicquid sancti cecinere Propheta,
Hebraici & populi quicquid victoriæ gessit,
Hymnidici aut quicquid cecinit laus mystica David,
Quicquid Salvator veniens jam fecit in Orbe,
Quicquid Apostolicus docuit per secula Cætus,
Continet hic solus pariter hæc omnia Codex.*

v. 57. Comma, quod præcedaneum versum clauderat,
sublatum & post initium sequentis hujus positum reddidit versum
utrumq; luculentum. *Depromit cantio Christum
Psalmorum, Lyrici quos statuere pedes.]* Sc.

Scil. Poëtici, quibus inclusas atq; statutas dicit Davidicas illas cantiones.

v. 59. *Protinus Idjotæ resident tres ordine libri,
Cui nomen Salomon, sive COHELET inest.]*

Hoc nomen Hebraicum tribuitur propriè Ecclesiastæ Salomonis, quem Latinè *concionatorem* posse dici Hieronymus auctor est. Videtur verò Salomonem *Idiotam* appellasse, i. e. Laicum Philosophum, Clerico oppositum, ut qui tres partes Stoicæ Sapientiæ, Ethica in Proverbiis, Physica in Ecclesiaste, & Logica in Canticis Canticorum absolvisset. *Rebus & in Logicis vertitur ejus opus.* Videtur autem legisse vocem *Idjotæ* quasi trium syllabarum.

v. 67. *Inde philistoricus Daniel est, totius orbis
Omnia qui lapidem frangere regna canit.]*

Tertullianus quoq; post omnes Prophetas Danielem posuit lib. 3. adv. Marcion.

*Quàm magnus Daniel, qualis vir, quanta potestas,
Somnia secreta & Regis prior ipse resolvit,
Prævidit Christum regnorum solve membra.*

v. 69. *Hinc duo ponuntur, quæis nomen verba dierum est.]*

S. Hieronymus præfatione ad Domnionem & Rogatianum in librum Paralipoménon, quod apud Hebræos unus sit, scribit & apud illos vocetur DIBRE HAIAMIM, id est *verba dierum*: qui propter magnitudinem apud nos sit in duos libros sc. Chronicorum divisus.

v. 71. *Ponitur hinc Esdras, legem templumq; reformans.]*

Alcimus ad Sororem:

Quæq; instaurator templi promptissimus Esdras Egerit,

v. 72. *Et reditum Israel ad sua rura canens.]*

Tertulliano l. 3. vocatur *Legis doctor & ipse sacerdos,*

Qui populum captum post tempora plena reduxit.

v. 85. *Promit aperta novæ Christum hinc hinc buccina legit]*

Editt. Tolle verò hinc alterum istud à sciolo insertum, cum prius per Ecthlipsin præcedentem (quæ apud hujusmodi scriptores, subsequâ adspiratione, nulla solet esse) ineptè iteratum est: Sicuti nec versu statim succedente Synalæpha existit, *segmine hinc typico.*

nos tamen utrobique; nunc pro hinc substituimus, nisi potius posteriori loco Sic typico legas, aut hoc distichon ita concipias:

*Promit aperta novæ Christum hinc sic buccina legis,
Tegmine ceu typico prompsit operta vetus.*

v. 88. *Vox tonat hunc Chorum quattuor una simul.]*

Sc. Evangelistarum. Rescripti verò huncce, ut vitium tollatur. Alimus loco cit.

Dehinc quicquid prisca succedens gratia legi Intonat.

v. 89. *Primus ab humana quia cæpit pramere gente & c.]*

Cur Evangelistæ quatuor signis illis animalium Ezechieliticis signentur, prodit. Sicuti rursus quoque; Avitus:

- - novi miracula Testamenti

Quæ canit hinc Hominis facies, vox inde Leonis.

Et pernix Aquila, & fortis certamine Taurus.

& Cœlius Sedulius lib. 1. Op. Paschal.

Hoc Matthæus agens Hominem generaliter implet,

Marcus, ut alta fremit vox per desertum Leonis,

Iura sacerdotis Lucas terit ore juvenci,

More volans Aquilæ, verbo petit astra Ioannes.

Quattuor hi proceres unate voce canentes,

Tempora ceu totidem latum sparguntur in annum.

Sic & Apostolici semper duodenus honoris

Fulget apex, numero menses imitatus & horas.

Galfridus quoque; paucis abhinc seculis moraliter & allegoricè hæc exponens, in specie horum animalium predicatores Ecclesiæ credebatur designari: quos oporteat leones se exhibere, terribiliter conflagando delicta; boves, strenuè trahendo terrena; homines, benignè iis compatiendo; aquilas, sublimiter evolvendo & subtiliter divina contemplando.

Omniū vero diffusissime PETRUS DE RIGA a v. 10. d. 10. selegiis suis volum. 2. prologo.

*Matthæum signat vir, Lucam bos, Leo Marcum,
Ales discipulum, qui sine labe fuit.*

Matthæo species humana datur, quia scripto

Indi.

Indicat & titulo quæ Deus-egit-Homo.
 Lucam designat Bos victima, qui specialem
 Materiam sumsit de cruce, CHRISTE, tuâ.
 Marcum declarat Leo, qui depingit aperte,
 Quantâ surrexit vi tua, CHRISTE, caro.
 Discipulum signat species Aquilina pudicum,
 Qui super astra volans cœlica verba sonat.
 Mox: Christum nascentem docet hic, alius morientem,
 Ille, quod exsurgit, ille quod astra petit.
 Ad Christum possunt simul hæc prædicta referri:
 Ad quem nostra queat penna volare, precor.
 Christus Homo, Christus vitulus, Christus Leo, Christus
 Est Aquila: in Christo cuncta notare potes.
 Est Homo, dum vivit; Bos, dum moritur; Leo, quando
 Carne resurgit; Avis, quando superna petit.
 Fons stillabit adhuc, verborum consule venas!
 Nam tibi moralis profluet inde sapor.
 Pertinet ad Justos eadem descriptio mores,
 Quattuor hæc Justus quilibet esse potest.
 Est ratione vigens Homo, Bos carnalia mactans,
 Est Leo prava domans, est Avis alta sequens.
 Est etiam ratio, cur Salvatoris adornent
 Et lustrent medium quattuor ista thronum.
 Rex volucres Aquila, at Rex Bos jumenta, ferasq;
 Rex Leo, celsior hæc Rex Homo cuncta præit.
 In statione suâ Regi servire supremo
 Atq; subesse simul quattuor ista nota!
 De Matthæo vero sigillatim ALCUINUS car. 13. è nostra
 & aliorum emendatione:
 Mattheus egregium describens dogma salutis, &c.
 Quemq; Prophetam Dei, sacro spiramine plenus,
 Humanâ specie vidit signarier olim:

I S

Quod

*Quod Christi patres & avos numeraret avorum,
Equeis Salvator nostræ cunabula sarcæ
Sumpserat in mundo, scelerata piacula demens.*

Coniunctim verò de omnibus idem c. 24. egit

*Nascitur humanâ celsus de carne Creator,
Ut homo per hominem - scandat ad astra - Deum.*

*Ecce Leo, Judæ natus de germine, mundum
Liberat, & lethi sceptrâ triumphat ovans.*

*Hostia summa Patris precioso sanguine Christus
Per mundans Orbem, regna sub alta vocat.*

*Assumptis Aquilæ Christus petit æthera pennis,
Conregnatq; Poli perpes in arce Patri.*

v. 97. *Quatuor atq; decem hos Pauli Scripta sequuntur.]*

Alcimus l. c.

Bis septena pii quod spargit Epistola Pauli.

v. 98. *Quæ Orbemisit ovis, qui lupus ante fuit.]*

Saulus sc.

*Cædibus assiduis cupiens discerpere plebem,
Mutato placuit postquam de nomine Paulus.*

Ut Damasus P. MX. carm. IX. cecinit, quem V. Sed ante ipsum
clarius Arator lib. 1. Act. Apostol.

*Saulus acerba fremens, committere bella Damasci
Judaicâ feritate parat: sed amabitur agnus,*

Quæ properet sævire lupus. Et mox:

Exemplum dedit alma fides, Anania furorem

Excudit. ô nova palma! lupum domat ille rapacem,

Ebraeus quem dixit ovem.

v. 101. *Arcadas infectos adverso errore) Corinthios.*

v. 113. *Thessala quem genuit favet hinc octava quaterve)*

Rectius *caterba*, quam Thessala sc. terra genuit, h. e. Thessaloni-
censibus. Amicus quidam noster malebat:

Th. Quam genuit, fovet hanc Octava paternè.

*Quia scilicet genuisset sibi vel potius Deo Apostolus, ideo pa-
ternè*

ternè

perne quoque eam fovisset. Sed prior lectio verior.

v. 130. *Una tibi Juda tua est*) L: *Juda, sed una tua est.*

v. 133. *Hinc Ad Apostolicos, quos Lucas protulit Actus
It salus Ecclesie*) Editi libri, sed correxi:

Salus it Ecclesie. Cur verò hic post Epistolas Apostolorum eorundem demum acta ponantur, causam non exputo, melius hæc illas præcedere sentiens, ut apud Alcimum qui tamen Joannis Evangelium alteri Lucae quoque præposuit, ut hujus utrumque scriptum combinaretur.

Et pernix Aquila & fortis certamine Taurus,

Quicquid Apostolicis Lucas descripsit in actis.

v. 113. *Hic cibus aeterno satiat præcordia pastu,*

Justitiæ famem quo magè habetur alit.)

Edita exemplaria ut in Biblioth. PP. t. IX. interferunt vero copulam & distinctiunculam *Justitiæq; famem, quò magè habetur, alit.* è VI. Joannis, ubi quidem dicitur, quod qui ad hunc vitæ panem venerit, non esurire debeat amplius, (nisi tamen justitiæ, quæ fames laudabilis) nec unquam sitire. v. quoque cap. IV. de Samaritana, ut & Ecclesiastici 24. v. 29.

v. 141. *Hic paradisi geno veniens de gurgite pilus)*

Corruptè ita prius editum erat, sed reddidi *Nilus*. de cujus ortu multa est controversia. Nam in Mauritania oriri (ceum Vitruvius lib. 8 c. 2. voluit) apertè fallum dicit Fabricius, eaque de re præter Lucanum & Ammianum Marcell. lib. 22. differentes varios legere potes apud Ortelium thesauro in *Montes Luna & wendelinum*. Scriptores sacri, ut hic Theodulphus in Paradiso eum ortum volunt. Alcimus Avitus prolixè quoque lib. 1. agit à v. 263. ad usque 290.

Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus

Dicitur, ignoto cunctis illustrior ortu.

Scilicet qui Græcis *Nilus*, Latinis apud Ausonium & Servium *Melo*, Hebræis *Geon* nuncupabatur fluvius, Ægyptum ambit & Æthiopiam, limo turbidus, sapore vinosus, & per se valde fecundus. Hinc Cyprianus seu adeo Tertullianus in Genesi de flum. Parad.

Post hunc Æthiopus Geon allapsus opimat.

Et sic etiam Josephus lib. 1. Antiquit. c. 3. *Geon Nilum* interpretatur. Unde & Ecclesiasticus c. XXIV. v. 37. ut Γνωὺν in die Vin-

demie

Nemine, ubi quocumque; Martinus Islebicus reddidit Nilum. Nec est, quod quispiam cum Matthia Martinio nimis laxos Paradisi terminos fieri statuat, si ut doctis nostræ ætatis visum, à subterraneis potius causis Nilum intumescere credamus, sicuti & in Delo fons Inopus Nilo ὁμοιοπαθεῖ ideoque; Nili ἀπόρρηξ à quibusdam dictus, ubi nulli, aut certe non tanti imbres, quibus Inopus quotannis infletur. V. Casaub. in 17. Strabonis,

v. 150. *Virtutes gignunt, probra fugant vitia.*)

Sic hætenus Editt. Sed non dubito, quin scriptum fuerit, atque *probrosa fugant, vel turpia probra fugant*, atque; supra scriptum fuerit *ut probra vitia*, quasi ista vox hæc exponeretur, quæ ambæ deinde in textum irrepsere. Sæpe namque; illa gavisus est & eâ sola Theodulphus, ut paulo ante v. 35.

Quatuor eque; tribus probris i. e. criminibus.

v. 173. - - *Quis singula fando*

Expediet, decus hoc quæ lucet atque; viget)

Sic antea, sed scripsi, *quæ lucet*, nam sphalma operarum est.

v. 175. *Quæ, non clausa, metum, fastidia non dat, aperta:)*

Malam hanc distinctionem sustuli, hoc sensu: quæ non metum clausa, non fastidium det aperta.

v. 194. *Et ad vitæ sociat non peritura Tibi.)*

Divulsa conglutina igitur & melius distingue nobiscum:

Et vitæ, ad sociat, non peritura, Tibi.

v. 225. *Nam tibi Cunctipotens actus non verbarequiret]*
i. e. à te, ut in parænet. v. 79.

Hoc inopi facito, quod petis ipse Deo.

Nisi scriptum forte fuerit: *Namque; ibi G.*

v. 227. *Faciendo doceto) non doleto ut olim.*

v. 233. *Semitæ sic cæso dumosæ robore silvæ,*

Dum teritur crebro, fit via lata, pede.)

Quod prætulerim alteri Si.

v. 246. *THEUDULPHI clemens sis memor, oro, vale.]*

Nihil hic attinebat & alterum distichon hoc cum vulgatis adjicere.

Vive Deo felix per plurima tempora Lector

Theudulphi, nec sis immemor, oro, mei.

AD

AD VERSUS CHRONICO BIBLICO PRÆFIXOS.)

v. 7. Scilicet initio sumens exordia ab ipso)
repositi auspicio. respicit autem ad frontem Bibliorum: In principio
creabit Deus cælum & terram.

v. 10. Heracli princeps, tempus ad usq; tuum.)
Ergo ad annum usq; qvo Heraclius Imperium Rom. suscepit, processit hoc Chronicon.

v. 13. Hinc ad aperta sedent Hebrae nomina lingua)

i.e. post Chronicon sequitur glossarium triplex: primo Hebraicorum nominum Veteris testamenti, deinde Græcorum novi testamenti, ut & tertio Latinorum quorumvis licet pauciorum, quæ in utriusq; Codicis biblici versione occurrunt.

v. 29. Quæq; est servanti ceu sarcina parva ferenti,
Quo gravis est pretii sarcina monstrat iter)
Quæ vulgata scriptura ut abstrusa & mendosa videtur: ita à nobis supra fuit emaculata.

v. 34. Pondus & arboreum germine deq; levi)
Copulativa particula una videtur superabundare ex duabus, scribes
Arboreum pondus germine deq; levi. vel Pondus ita arboreum .g.d.L.

v. 38. Quosq; tenent flores librorum grandia prata,
Hos simul hic calathus dat tibi, carpe manu.)
Pronomen id præ conjunctione adstruxerim, quia ejuscemodî (ut tum vocabant) deflorationibus quasi è toto libro præcipua quæq; excerpebantur, ut nullo labore illa in unum veluti calathum congesta ad usum tuum referre valeas.

v. 51. Atq; ita me clemens peccamine purget ab omni)
Prud. Apoth. Est incentibum peccaminis.

Et rursus: Ex in tincta malo peccamine principis Adæ.

AD PICTURAM HISTORIARUM EVANG.
DE INFANTIA CHRISTI.

v. 7. Zacharias soboli nomen posuere parentes)
ita Editiones habebant, ut & seq. v. Joannes certant vocitare parentes, quod hic in Joannem ibi in nomen Zacharie mutavimus.

AD

*AD IMAGINES IN DEXTRO PARIETE,
De miraculis Domini.*

v. 7. *Andreas sequitur. fratri comperta profatur)
Petro indicat, se Messiam reperisse. Joann. 1: v. 40.*

*ibid: 8. Imperat os vitreum post se properare Philippum,
Nathanael qui mox spissâ subducit ab umbrâ.)*

Per Os vitreum intelligit Christum, quia sicuti vitrum Isidoro lib. XVI. Etymol. c. 15. est, quod visus perspicuitate transluceat, & qualis species interiùs lateat, talis exterius pateat: ita quoq; salvator philippo visus est Messias, ut qui manifestè omnibus exereret, quod intùs possideret, quodq; Lex & Prophetæ de ipso prædixissent: Joann. 1. v. 45. atq; idem Philippus ex spissis & densis tenebris mox Nathanael subduxit, ubi in casu accusandi non in nominandi Nathanael ponitur, ceu indeclinabile ut supra in hymno Palmarum *Israel tu Rex. Spissa* quoq; *umbra* hîc propriè est ficûs, sub quâ ille federat Nathanael, ad quem ita apud juvenicum Hispanum lib. 2. Hist. Evang. dicit Salvator:

Cum te diffuse tegerent umbracula ficûs.

Et mox: Arborea quod te vidi recubare sub umbrâ.

v. 16. *Das pecorum furiare greges)*

È Sedulii vel Amæni seu adeo Prudentii expressit enchiridio;

Porcorum furiare greges ac per freta mergi.

v. 40. *Ex limo reparat, quicquid natura negarat,*

Qui luteum primo totum plasmaverat Adam)

Sed verbo illo Prudentiano & Ambrosiano ex Græco *πλασσειν* facto magis uti gavissus est Scriptor & ipse Ecclesiasticus. Prius Apotheosi:

Ut per corpoream speciem plasmâsse feratur

Corporis effigiem.

Ambr. hymno: *Ut hominem redimeres,*

quem antea plasmaveras.

Ad passionem Domini in sinistro stationis pop.

v. 1. *Esse sibi patrem, Domino tractante Tonantem,)*

i. e. dum Salvator *tractat* seu concionatur, sibi patrem esse cœlestem Tonantemq; & succedentibus seculis *Tractatores* Prædicatores vocabantur. v. Hildebertum Cenom. v. 6. Dum

v. 6. *Dum caput atq; pedes nardo perfudit odora*)
quod Canisius præ honorâ, uti prius scribebatur, legerat & elegerat.

DE S. HILARIO) ex Fortunati successoris elogio lib. 6.

*Inclytus ille, quibus verè amplus Hilarius oris
Et satus & situs est, ore tonante gravis,*

DE S. AMBROSIO: Signis insignis & hymnis)

De opere Creationis hymnos VII. adscribit Ipsi D. Augustinus l. 9. Confessionum, ubi citat duo cola ex hymno septimo, quem & Beda citat libro de re metrica. Alii præterea ejus hymni sunt numero XXVII. quos quidem in Codicibus ei inscriptas invenimus. Isidorus eum secundum ponit ab Hilario, qui hymnos elegantissime apud veteres scripserit. Georg. Fabricius.

DE S. AUGUSTINO: Quamvis multorum placeant volumina libris)

Quùm disticho præcedenti rectè dixisset: *Namq; voluminibus &c.* incredibile fit, statim eandem vocem sequenti versu & quidem depravatam prima syllabâ producere voluisse: quocirca & ad sensum & ad metrum aptius illud reduxi, *careant tua limina libris.*

DE S. HIERONYMO: Interpres variis doctissime lingvis]
Cælius Sedulius præfat. ad Macedonium Abb. *Nec Hieronymi divinæ Legis interpretis & cælestis Bibliothecæ cultoris exempla te pudeat imitari.* Atq; ita quoq; Prosper de eo:

Hebraeo simul & Graio Latioq; venustus

Eloquio morum exemplar mundiq; magister.

E quibus locis e quidem ita hoc Epigramma effictum vel crediderim, vel ipse saltem effinxerim:

Jeronyme interpres, variis doctissime lingvis,

Biblice, quin ipse es Bibliotheca Dei.

Te Bethlem celebrat, te totus personat Orbis:

Fert quoq; nostra tuis Bibliotheca libris.

IN ADVENTU CAROLI FILII AUGUSTORUM)

Alii *Augiam*, quæ insula est Germaniæ, Constantiæ finitima
Quod enim eò pervenerit, versus arguit XII.

Quàm te tota nunc tenellum corde mulcet Augia.

Atq;

Atq; ideo hoc carmen WALAFRIDI Abbatis Augiæ illius divitiis
esse præsumitur.

v. 17. *Dicat omne plebis agmen, Clerus ipse primitus .
Dives, pauper, sospes, ager : CONSONENT IN
LAUDIBUS!*)

Major hæc Augia est & tribus parochalibus Ecclesiis nobilis,
Sicuti quoq; sacro D. Marci Evangelistæ corpore, in monasterio ibi
recubante, Venetis invidiosa; qui pecuniæ summa à monachis illis
redimere voluerunt, ut soli reliquias viri sancti possiderent; sed
monachi istud recusarunt. Munsterus lib. 3. Cosmogr. Clerum
igitur numerosum alit. Sic enim vvalafridus in visione vvetini
statim in fronte:

*Rhenus ab Ausoniis qua ducitur Alpibus, æquor
Miscet, in occiduis diffusus partibus, ingens
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens, jacet hanc Germania circa:
Hæc solet egregias monachorum gignere turmas;
Primus in hac sanctus construxit mœnia Præsul
Pirminius terniq; gregem protexerat annis.*

De quo scribitur, & experienciâ quoq; id comprobatur, Divum
hunc virum omnes venenatos vermes, puta serpentes, aspides, la-
ceros, bufones & hujusmodi ex hac insula, ubi frequentes esse so-
lerent; pariter ut Apostolum Paulum ex Melita, fugasse, ut in ho-
diernum usq; diem in ea non inveniantur, & illati non maneat,
aut moriantur. Car. stephanus

v. antepen. *Gloriam dignam triuni pangimus potentia)*
forte melius ita quam *triformi*.

ibid. *Quæ te sanum vexit isthuc Francorum per tegmina)*
i. e. per præsidia & *συνματοφίλακας* Gallicos, qui eum salvum eò con-
duxerant & comitati fuerant, quanquam ut verum fatear, tam in
Ingolstadiensi Canisii, quam in Parisina & Coloniensi Biblioth.
PP. Editione hic legebatur: *Franc. per regmina*, quod pari modo ut
à te go, tegumen ac tegmen, nec non tegumentum; Eodem quoq;
à verbo consimili rego, regimen, regmen & regimentum hinc
sint Barbari, quamvis regiminis & regimenti auctoritates suppe-
tunt, at non *regminis*, nisi sequioribus seculis, ut apud Alcuinum
Carm. 81, de p. 200.

Clas

E

*Claviger æthereus, serbat q̄bi regmina cæli,
melius dixisset limina & apud Aldhelmum Episcopum oc-
cidentalium Saxonum in Ænig.*

*Arbiter, ætherio jugiter q̄bi regmine sceptrâ
Disponis moderans.*

NB. abiter & illud, incuriâ Typothetæ, an librarii fa-
ctum, ut distichon illud *Iuste, felix & benigne, & c. voftra
complens gaudia.* etiam in hunc Trochaicum ex sequenti
irrepsit, quò saltem pertinebat. Quia & illi duo versu-
culi paulò ante finem sic jacebant:

*Turba q̄bid simul piorum, q̄bi Deo sunt proximi,
Actitet penes supernam poscimus clementiam.*

Quod idem innuit, ac si scire vellemus, & propterea nu-
men divinum invocaremus, ut nobis pandat in visione,
quid Sanctorum turma juxta Deum actitet? cum hic sensus
esse debeat, quod ut nos vivi enixissimè Deum rogavimus,
ut in Rei Christianæ salutem protegeret hunc Carolum
Ludovici F. Caroli Magni nepotem, ita & piè defuncti Mar-
tyres & sancti faciant & pro eâ, quæ Deo proximi sunt, in-
timæ admissionis quasi familiaritate preces suas cum no-
stris jungant, atq; idem nobiscum factitent, ceu mem-
bra ejusdem nobiscum corporis. Quæ superiori seculo o-
ptimi viri Cassandri fuit interpretatio, ad hymnos Ecclesia-
sticos p. 206. 207. & 262. *Omnes inquit Beatorum Spiritu-
um ordines & nonnulli ex iis nominatim, non ut ipsi nobis mi-
sericordiam impendant, invocantur, sed ut nobiscum & pro no-
bis Deum orent, iubitantur. Si enim Prophetæ licuit appellare
Angelos & universum cælestem exercitum, eosq; hortari, ut De-
um laudent, quod tamen nullo etiam monente assidue faciunt,
quò sanè nihil aliud quàm abundantia quædam studij divins
gloriæ amplificandæ declaratur: Cur etiam non liceat beatos
illos Spiritus ejusdem corporis societate nobiscum conjunctos ex
quædam piæ desiderij redundantia compellere atq; exhortari,
uti id faciant, quod eos ultro facere credimus. Ut perinde valeat:
Omnes Sancti orate Deum pro me, ac si dicatur: Utinam aut
quàm velim, Omnes Sancti Deum orent pro me. Quis autem cum
Deum orat, non cuperet, omnes, quotquot in cælo & in terrâ sunt,
pios preces suas una cum suis precibus conjungere? Si enim uni-*

K

us justâ

us *justi precatio multum valet, non dubium, quin plurimum San-
ctorum & justorum preces plus valeant. Quæ autem cautiones
hic sint adhibendæ & quibus in rebus hic vulgo peccetur,
non ibidem loci voluit explicare Cassander, nisi quod pau-
lo post p. 257. monuit, videndum, num tutius & expeditius
sit, Christi monitioni obsequentem, cum Judæis adorare, quod
scias, quàm cum Samaritanis adorare, quod nescias.*

IN ADVENTU LOTHARII IMPERATORIS.

6. 12. *Sancta, Lothari, Maria virga Te cum fratribus*

Et simul cum Patre magno serbet, armet, protegat !)

Optat autem ut Salvator, qui est surculus de radice Jesse
& virga de Maria virgine tueatur Lotharium cum Ludovi-
co Pio, ejusq; filio natu minimo Carolo & reliquis Lotha-
rii fratribus, nam & de altero illo Carolo in præced. carmi-
ne dixerat pariter. *In te terra nostra Patrem suscipit cum fra-
tribus.*

6. *Et Valens junctus Beatis hoc precetur omnibus)*

Repete huc, quæ modò ad præced. Carmen notavimus.
Quis verò ille Valens, an Episcopus Veronensis, an alio-
rum hoc nomine Martyrum quispiam, fateor me ignorare.

6. 17. *Brito cedat atq; Bulgar)* pro *Bulgarus*, vel *Da-
cus*, qui populus est Europæus in parte Mœsiæ inter Danubi-
um & pontum Euxinum. Paulo warnfrido pariter *Bulgar*
fuit usurpatus, qui & in Historia miscella semper vocat *Bul-
gares* in plurali.

AD LUDOV. in persona *PALDMANNI* cujusdam)
de quo inibi erat versus secundus:

Suscipe quæ prono vobis fert pectore Paldmann.

Quem oportuit fuisse Presbyterum valdè simplicem,
quod non ceperit illud distichon:

Si placitum hoc fuerit, faciam tibi multa per illum

Carmina conscribi, supplex quæ scripserat ista.) i. e.

per walafridum Strabum plura talia tibi fieri & conscribi
curabo, ut qui scilicet & horum versuum auctor extiterat.

AD FONÆ EPISCOPI carmen)

Aurelianensis putà ipsius quoq; , cujus extant libri de I-
maginibus contra Claudium Taurinensem ad Carolum,
Calvum Reg. Franc. Sed & idem Episcopus cum reliquis
ejus

ejus ætatis Gallis Agobardo Lugdunensi & aliis negabat;
facris imaginibus ullum deberi cultum religiosum, obser-
vante quoq; *Bellarmino de scriptoribus Eccles.* qui proinde
caute putabat, eum legendum: Posterior verò hic Jonas est
Theodulpho, Nam anno 825. cum Jeremia Senonum Ar-
chiepiscopo Romam ad Papam Eugenium à Ludovico
Imp. missus fuit in causa Græcorum propter imagines, *Sy-
nodo Parisina* teste atq; inde *Baronio t. IX. Annal.* anno
825. §. 48. 50. & 56.

§. 1. *En ades Cæsar pius & benignus*)
Ludovicus cognomento Pius, Cum filio Lothario in Cæsa-
rem quoq; jam adsumpto.

§. 5. *Cernuus,*) est humilis, ut alibi.

§. 9. *Hic decus sudum Ecclesie Paterq;*)

MS. Canisianum habuit *Sudam*, sed lego *sudum decus*
i. e. serenum. Inde mox

§. 17. *Cujus adventus*) non *adventa*, ut prius, quod Dn.
Barthius emendavit.

§. 18. *Et nitens multum facies serenat*

Civitas, ternet, populosa nempe Aurelianis)

Quæ eorum temporum fuit nomenclatio, ut *Aurelianis*
in casu recto & indeclinabiliter vocaretur, sicuti *Parisius*,
Turonus & alia. *Anonymus Scriptor Chronologicus* ex Idacio
& Thoromacho à Canisio editus: *cum exercitu Francorum*
uoq; Aurelianis pervenit. Quando verò ait, quod Imperatoris
facies multum nitens serenat & alios, Ipse quoq; Jonas in
principio operis contra Claud. Taurin. è B. Ambrosio con-
firmavit. *Habitus mentis in Corporis statu cernitur, & ex al-
tero quodam:*

Frons hominis propriae mentis depromit amictum,

Qualis vultus erit, talia corda geris.

§. 36. *Cæsaris hujus valeat per abum*

Nobilis conjux, sua clara proles) Barthius lib. XIX.
c. 17. notat H valere literam, juvareq; syllabam, quo pro-
ducatur, ut apud Ausonium:

Mercator hodie, eras Citharadus eris.

item Professore IX.

Tertium horum mihi non Magister.

K 3

DA

AD EPITAPHIA GEROLDI ET CONSTANTII

Qui ambo in Pannoniis occisi fuerant, Carolo Magno Imperatore, quæ de re quoque; Paulus Æmylius Veron. lib. 2. p. 97. *Tristis & alter nuncius allatus est, ab Hunnis rebellantibus, Geroldum Bavaria Præfectum ipsum & quingentorum equitum delectorum alam ad internecionem deletos.* Adelmus quoque; Benedictinus in Franc. Reg. Annalibus anno 826. *Bertricum, Baldicum & Geroldum Comites & Avarici limitis custodes in Carantanorum (in Kernten) provinciam misit Imperator Ludovicus.*

v. 11. *Iste sibi & natis bello mercabit honores)*
malim legere *mercatus hon.* Et sic quàm optimè cum sequentem pentametro conveniet. quod suffecerit ipsi honor, quem sibi & natis fortitudine bellica quasi mercatus fuisset, Principibus pro munere interim dedisset colla hostium resecta, ut tutò regiones suas postea retinere & iis frui possent. Tametsi non ignorem, eo tempore activè istud verbi usurpatum fuisse, ut Fredegario Scholastico in Chron. c. 35. cum Theudebertus Belicildem habebat uxorem, quam Brunnichildis à negociatoribus mercaverat.

v. 22. *At Theodora tuum, te cupiente, parens)*
sc. violare vel referare tuum sepulchrum debet, quia ipsa met expetiit, ut in eadem conjugis Constantii tumbâ ipsa quoque; contumularetur. Per *parentem* verò non tam mater, vel pater, quàm quivis cognatus intelligitur pro captivillius seculi, unde & *parentela* pro cognatione accipiebatur & profapia. V. N. ad Hildebertum Cenom.

IN PARÆNESIN THEODULPHI AD JUDICES.

Cui temporis injuriâ auspiciam unius & alterius versiculi perierat, itaque; & nos eò, quo Geverhardus Elmenhorstius Lugduni Bat. ediderat modo, licet capite truncatam reproduxim⁹. Voluit autem subprimam statim ingressū, quo iudices affatus erat, non suo solùm exemplo, sed veterum biblicis paradigmatis, ut Samuelis, Davidis, Salomonis, Ezechiae, Josiæ cohortando pariter & dehortando eos excitare. Ut tamen sensus in principio sibi constet, talis aliquis versiculus defuit:

*Quisquis es in sella, memor esto, quod ante, curuli,
Dibitem opum populum rexis honore Dei. &c.*

v. 9. Nec

6. 9. *Nec precio est usus, bilis aselle, tuo.*) Sic enim ipsemet Samuel libri sui prioris capite XII. de se publicè agebat: Conversatus coram vobis ab adolescentia mea usq; ad hanc diem, ecce præstò sum! Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut alinum. Si quempiam calumpniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, & contempnam illud hodie, restitua m q; vobis. Vid. & Syra. 46. 6. 25. *Huic proluxa stylo talia propb. canit.*)

ita in excuso legitur, ut *talja* sit dissyllaba vox in pronuntiatione. forte verò scriptum fuit:

Hocce Propheta stylo talia plura canit.

6. 37. *Nectar dulce meri sic male, perdis, acor.*

Ita vocativi casus epitheton, non adverbium esset, quod fieret tamen, si legas

Nectar dulce meri sic male perdit acor.

Prout ex optimis vinis fit acerrimum acetum.

6. 44. *Fregit in excelso compositum monte Chelydrum,*
Vita hic causa prius, postmodò mortis erat.)

Obliquè hinc tangit & defendit doctissimorum & piissimorum hoc tempore in Galliâ & Germania Episcoporum sententiam, qua in synodo Francofurtensi & Parisina damnarunt imagines in Ecclesiis, quæ prius Laicorum bibliâ fuerant, tum vero idololatriæ abominandæ & prorsus paganæ auspicia, ideoq; averruncanda.

6. 46. *Sic Medici scalpro quæ se transfigit acuto &c.)*
Salutarem dixit venæ sectionem ad Medici quidem svasionem, non ad Tyranni jussionem factam lethalem istam.

6. 52. *Quæ desidenti datus es pia gloria regno)*
scriptum fuerat ante *decidenti*, quod modulus secundæ syllabæ non tolerabat, scriptum ergo putavi vel *decedenti* & *decrefcenti*, vel etiam *desidenti* i. e. *subsidenti* scriptum fuisse. Dicitur verò datus hic Josias ab ortu vespertini temporis Rex inter pios sc. postremus, imo verò juxta Theodulphi & ipsius Syracid. enarrationem solummodò tertius. Sic enim in lib. Eccles. c. 29. scripsit. *Prater David & Ezechiam & Josiam omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt*

K 5

legem

Regem Altissimi Reges Juda, & contemserunt timorem Dei.

§. 66. *Sapè etiam talis, quum non sim, suspicor esse,
Cum mihi sint plures, hac lue liber ero)*

Suspikor passivâ forma dixit, quasi & ipse non esset immunis à suspicione avaritiæ & Philargyrias, quæ Judices corrumpi solerent; verum quamvis ipse non negaret se pluribus peccatis obnoxium, ab hac tamen peste se liberum pronuntiabat sicuti fieri solet, ut aliquis hoc, & alius illo morbo laboret, non omnes omnibus.

§. 70. *P R Æ F E C T U R A mihi fuerat peragenda tributa)*

Ab Imperatore Carolo Magno & ejus nominis primo demandatam sibi cum Leidrado arduam dicit provinciam, provincias obeundi & urbes Ecclesiasq; in ipsis visitandi & reformandi; ut Clerus decretis Synodalibus, populus autem legibus civilibus in virtutis regia contineretur.

§. 77. *Hister, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar)*

Cum multos fluvios notiores, quibus imperaret Carolus, præmisisset, in hoc postremo versiculo ignotiores subjecit: Videtur autem scripsisse. *Hister* vel *Ister* seu Danubius; qui Europæ est fluvius longe maximus in jugis Abnobæ montis ortus, per innumeras lapsus gentes, & sexaginta autus amnibus, in Pontum se senis exonerat ostiis: Sicuti *Albim* XI. fluvios in eadem Germania recipere & in Oceanum evolvi novimus. *Atax* verò Gallia Narbonem perfluens ex Pyrenæo monte in mare mediterraneum infunditur. Quem ideo quoq; Theodulphus statim vers. 83. Rhodano, Arari, & reliquis Gallia fluminibus connumeravit. Quales verò fluvii sint *Gabarus* & *Olitis*, non reperio, nisi forte ipsa nomina sint depravata.

§. 84. *Quasq; Alpes Latio, Libyâ discriminat æqbor.*

Quasq; Pyrenæus mons orbe adhibere tuo.)

Ubi prior versus ut ex Ennio, indice Merula, apud Ciceronem lib. 1. Tuscul. Disputat & lib. 3. de Natura Deorum desumptus est, cum fretum Gaditanum ita descripsit vetus Poëta:

Europam Lybiamq; rapax ubi dividit unda.

Posterior v. versiculus planè mendosus, nam præterquam quod *mons* superflue ex Glossa Pyrenæo adjectus esset, verbum

bum

bum illud *adhibere* nulli hîc erat usui. Quare in textu sine ulla religione & citra pulverem emendavimus: Quod ut alias Gentes Gallicanas montes Alpini discriminarant à Latio, ita alias Pyrenæi ab Iberiæ quasi altero orbe.

§. 89. *Crederet ut magnus hoc rebelante Labor*)

Et hoc antea sic depravatum restituimus: *cederet ut m. hoc rebelante l.* Leidrado scilicet ex Germania seu adeo Bavaria oriundo, ut quem *Noricus Pater genuisset*, ceu versiculo sequenti indicatur. Atq; is quidem in hac visitatione Gallicana tantum suæ virtutis specimen exhibuit, ut paulò post Episcopus Lugdunensis designaretur.

§. 110. *Reliquia Getici populi, simul hesper a turba
Me consanguineo sit duce leta sibi.)*

Videtur ex hoc loco elici posse, Theodulphum Narbonensem fuisse, vel adeo ex ipsa Hesperia ultima sive Hispania, contra quam Narbo fertur tutissimum Galliæ propugnaculum. Reliquias v. Getici populi Narbonenses dixit, sicuti D. Eulogius in Epistola ad williensindam, totam illam Galliam Narbonensem Gothiam vocavit, quod à Gothis possessa esset. De quibus plura vide apud Salvianum.

§. 115. *Et Synodus Clerum colligit alma forum) L. ferum*

§. 117. *Urbs Arelas, cives quæ statuere sui*

Urbs Arelas aliis quæ pluribus urbibus extat P.)

Galliæ pronūciationem servavit, & hodiè namq; *Arles* dicitur, cum aliàs *Arelate*, Ptolomæo verò *Arelatum*, quasi *Ara lata* diceretur. Ammianus Marcellinus *multarum civitatum decus* eam vocavit. Vide & infra carm. Agobardi.

Egressis Arelas optima portu Occurrit placido.

§. 122. *Massilia Argolica nos cepit condita gente)*

Cùm enim Phocenses Cyti Tyrannidem fugerent, in hanc sese Galliæ oram conferentes, urbem hanc vel condidisse, vel dirutam instaurasse & optimarum disciplinarum studii, legibusq; sanctissimis constituisse, ferunt, ut Romani pro Atticâ peregrinatione Massilioticum petierint Gymnasium, ut Cicero pro L. Flacco non Græcis modò, sed cunctis ferè gentibus anteponendam jure dixerit. Sicuti quoque *Agricola* (teste in ipsius vitâ Tacito) *statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam fertur habuisse, locum*

zum Græcâ comitate & provinciali parsimonia mistum ac bene
compositum.

6. 130. Illic & dumis, & acuta tramite cautis,
Abruptisq; caris continuatur iter.)

Durum & importunum iter per vepreta & confragosa,
abruptisq; montium quasi capitibus & interjectis
invia loca per valles & montes descripsit, cumq; ibi Argo-
licam gentem confedissem præmisisset, Argolica quoq; voce
Κάρα, quæ iis, ut & Hispanis pro capite usurpatur, uti volu-
it. Vide N. ad Corippi lib. 2. v. 421.

— — Postquam venere reverendam

Cæsaris ante caram, cuncta sua pectora terra illidunt

6. 138. Quid moror? instanter promittit munera plebes.
Pro plebs. Lucanus lib. 1. Nescit plebes jejuna timere.

6. 144. Iste græbinumero nummos fert divitis auri,
Quos Arabum sermo, sive character arat;
Aut quos argento Latius stylus imprimit albo. &c.)

Allegavit hosce versiculos, Theodulphi ex Parænesi, ut
sc. viro Clarissimo Paulo Petavio Parisiensis curiæ Senatori
debitos Jacobus quoq; Sirmondus ad lib. 1. Goffredi Vin-
docinensis Epistola XXI. verba illa: pro mille solidis Barba-
rinorum, Barbara nimis autoritate consecrari, imò exse-
crari fecistis.) Intelligi Arabicos, Saracenicos, Barbaris notis
signatos; quod frequens jam tum aureorum hujus notæ num-
morum usus esset in Gallia, post stabilitum nuper Saracenorum
Arabum imperium in Hispania: unde ad Gallos illa externi au-
ri copia ex commercio fluebat. Videntur autem eo tempore
aurei plures in Arabia & à Saracenis Arabum lingua signa-
ti fuisse, pauciores v. in Imperio Romano, ut quod argentum
ferè Latiali stylo imprimeret, cum antea æs ut plurimum
signavisset.

6. 150. Est mihi bas aliq̄vā signis insigne vetustis, &c.)

Quod XII. Herculis eximie cælatos representabat la-
bores, cum primis verò expugnationem vel excidium se-
mi hominis illius Caci (ut Virgiliæ n. VIII. vocavit) qui ei-
dem Herculi apud Evandrum hospitanti boves noctu sub-
duxit in antrum per caudas retrorsum tractos, ut vestigia
omnia foras versa viderentur. Quo spectant

6. 160. Il.

6. 160. & 61. *Illic rupe cavâ videas procedere tauros,
Et pabitare iterum post sua terga trahi.)*

Nimirum hic nequissimus Evandri servus omnia Italiae loca latrociniis & incendiis vastabat & infestabat, unde partim Vulcani filius, partim antri abstrusi & in monte muniti dominus dicitur, quod in ejusmodi castellum inaccessum prædam abegerit quasi retrorsum ex Latio. Illo ipso verò antro expugnato & diruto, ipse quoque Cacus fuit oppressus & præda recepta.

6. 164. *Perculit ut geminos infans Tyrintius angves,*

Hoc primum erat Herculis facinus, quod adhuc infans in cunabulis jacens patravit, cum geminos angves à Junone immisos elisisset.

6. 156. *Orâine sunt etiam gesta notata decem.)*

Reliqua scilicet præter illa duo priora jam commissa. De quibus duodenis Herculis laboribus videantur Græca Epigrammata in Anthologia, & Latina in Catalectis Virgilianis. Quamvis alii ultra ter duodecim facinora fortia eidem Heroi ascripserint, quæ apud Diodorū Siculum & alios videri poterunt. Hic vero tria solummodo ultra duo illa repetiit Theodulphus: quomodo Antæum Gigantem in Libya lucta sublimem tulerit, ne viribus à terra matre instauraretur, atque ita devictum suffocaverit; quoque pacto Nessus Centaurus in raptu Deianiræ ab Hercule quidem sagittis trucidatus, victorem ipsum postea veste suo sanguine tincta ferali vicissim trucidaverit.

6. 186. *Splendorem species, junctamque coloribus artem,
Utque rotis magnis junctâ sit arte minor.)*

Nullus huic disticho sensus est, nisi species verbum sit, quo usus Ennius apud Varronem *Bos epulo postquam spexit. Penam tamen v. planè haud capio, nisi forte legas: Ut precibus magnis junctâ sit arsque minor.*

6. 216. *Iste tuo dictas de nomine, Cordoba, pelles.)*

Scribe *Corduba*, quæ Urbs Hispaniæ Beticæ clarissima, utriusque Senecæ & Lucani patria, ut fertilissimis agris & pascuis semper fuit; ita & elaborandis & tingendis coriis celebrata, quæ & olim atque nunc quoque Cordubana vel Cordubensia vocantur, cum nulla amplius ex Hispania ad nos fe-

rantur, nisi fortè ars ita tenerè præparandi coria ad nos fu-
erit inde translata.

v. 234. *Tura Sabæus ager, Gangetis eburnea monstra*)
. e. Elephantes, qui duos habent dentes, ex quibus fiunt
opera eburnea. Unde sicuti Poëtæ nonnumquam Elephan-
tem pro ebore posuerunt, ita vicissim ebur vel eburnea
mōstra pro Elephantis sive Barris, e quibus ebur est Repeten-
dus verò est ἀπὸ τοῦ αἰῶνος ager quare fortasse rectius distinxeris:

*Thura Sabæus, ager Gangetis eburnea monstra,
Gryphas & Hyrcanus, balsama Syrus habet.*

v. 253. i. *Et commune facit, cuius bene postulat usus)*
Multaq; cum habeat nil docet esse suum,

L. *Et commune facit quicquid bene postulat usus,*

Neq; per Ecthlipin in posteriori versiculo M. eliditur
propter aspirationem sequentem, sicuti Fortunato, Capellæ
& posterioribus H. sæpe Consonam repræsentat. Qvalia se-
culorum istorum sphalmata non imitanda sunt junioribus,
sed veterum ingenia discenda, quorum licentia limites re-
cti nimis quàm sæpè excedit, ut amicus quidam noster
non malè admonebat. Et similia sanè exempla in hoc &
aliis carminibus similibus crebrò occurrunt.

v. 260. *O felix omnis virtus, discretio si quædam*
Virtutum nutritrix temperat, ornat, alit.)

Quam hinc nutritricem Virtutum Theodulphus vocavit, de
eadem Bernhardus super Cantic. serm. 24. *In cunctis nobis*
emper debet præesse discretio, & quasi moderando singulas dis-
cernere voluntates, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo
versutus, ne quod bonum est, malum; ne, quod malum est, bo-
num esse credatur. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, mo-
dum tribuit, decorem & perpetuitatem confert. Est ergo dis-
cretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix virtutum; or-
dinatrix affectuum & doctrix morum. Tolle hanc & virtus
vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem ma-
læ convertetur, exterminiumq; natura.

v. 327. *Quattuor hæc fontes quibus est nam fontior una)*
quæ Avaritia, quæ plus nocet, quàm amor, timor, & Zelus; Ut
à solâ omnia mala radicantur.

v. 343. *Dum redis usq;)* L. *Dum usq; redisq;*

v. 372. *Nam*

§. 372. *Nam q̄bi se nimis epulis somnoq̄ sepelit*)

Scriptum h̄ic putabat amicus *sepulcat*, quo verbo Fortunatus utitur, & est ex illo Virgilii desumptum:

Invadunt urbem vino somnoq̄ sepultam.

§. 384. *Ergo caſeto cibos nimios, carcheſia Bacchi,
Somnos: hęc mentem ſingula ſapē premunt.)*

Ita ſanē fuerant hęc diſtingvenda juxta tritum:

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda ſequenti.

§. 413. *Muſio mure facit, q̄b̄od leo torbus obe.)*

*Muſio & muſius telis eſt. Iſidorus Orig. lib. 12. cap. 2. Muſio appellatus, q̄b̄od muribus infeſtus ſit. Germanis ein Mäuſe-
Hwad und pelzerne Mäuſefalle.*

§. 438. *Q̄ba tenuis te q̄ba te celſum ſibilet intus
Sedibus, ut miſci dedecuiſſe putes.)*

Hoc quidem pacto depravatam antea diſtichon legebatur, quod à nobis eſt reſtitutum. Quamvis autem pro *ſedibus admuſci poſuiſſem admuſtum*, quia tamen Fortunatus *miſcam* pro *miſcebo* adhibuiſſet, retinere & illud viſum eſt.

§. 462. *Q̄b̄a rueret tecum, ſine te q̄bi ſcandere poſſet,
Dum firmamenti in ſede manentis erat.)*

Sic equidem legebam hoc ſenſu: Lucifer tecum, o ſuperbia, ut rueret, ſede piã lapſus eſt, qui ſine te ſcandere potuiſſet, ſi ſede firmamēti firmiſſimi & ipſe conſtās ſubſtituiſſet.

§. 464. *Eſq̄ Auriga malis, pondus enorme bonis.)*

Vide Notas noſtras ad Damasi Elogia.

§. 470. *Hęc abigat ferro, hoſtemq̄ medicamine morbum,)
Repoſui aut uſtum pro hoſtemq̄: extrema ſunt remedia,*

ferrum & flamma.

§. 492. *Sq̄ballebit ſcalis olidum gelidumq̄ puenti & c.)*

Forſe L. *ſcaris* i. e. turba vermium, quæ vox eſt Germanica. Hincmarus Rhemenſis Epist. V. ad Diaceſios ſux Episc. c. 3. *Bellatorum acies, q̄bas vulgari ſermone vocamus ſcaras.* & Aimoinus lib. IV. Geſt. Franc. c. 26. *Leſtam è Franciã bellatorum ſcaram, q̄bam nos turbam vel cuneum appellare poſſumus.*

§. 494. *Q̄b̄od mare, q̄b̄od terra, & q̄b̄od aër geſtat edendū.
Elumbem hunc verſiculum leviter trajiciendo ſanavimus.*

§. 497. *Et Caro q̄b̄e moſcho redolenti & ſtagrat amomo.)*

ſic

Sic pro museo lege: amomum enim moschata hinc nobis
subolere facit.

§. 524. *Post vitam vermis, post vermem pulvis habebit)*

Restitui abibit. Sic Hugo de claustro animarum:

Post hominem vermis, post vermes fœtor & horror:

Sic in non hominem vertitur omnis homo.

§. 537. *Sic anima corpus cedit ubiq; suæ)* Si autem legas debet,
subintellige *cedere* Prout scilicet aër cælis, & aëri tellus cedit.

§. 587. *Nec falsa infantis falsa mendacia matris Protulit)*

Addubito, an non illo seculo scripserit *Hæc falla infant.*

§. 617. *Comprime; si velox, si tardior, argue tardum)*

Ita corrigendum fuerat sphaalma typorum, quando unius
freno, alter calcari indigeret.

§. 630 *Sic nocitur a tibi cum promit famina talis)*

Vide Goldastum de faminibus ad Columbanum.

§. 632. *Hujus remigium verbis tu præbe salubre,)*

Surrogabam in parenthesi *redde*, sed exempla plura talia
ad Catonem alii notarunt.

§. 656. *Leditur ut pecoris proximitate pecus.)*

Juvenalis Sat. I l. v. 80. *Sicut grex totus in agris*

Unius scabie cadit & porrigine porci,

Ubiq; conspecta liborem ducit ab uba.

§. 690. *Ne rogo sperve preces mihi quantas ast ego vobis)*

Legebam *quantas astruo vobis*, alias nullus sensus erat.

§. 712. *Poma ut acerba cibo rejicis & apta capis.)*

Verbum *reicis* ut dissyllabum legitur, quemadmodum à
Virgilio in Ecl. *A flumine reice capellas!*

§. 720. *Præsciis arcani, tutor casti, almus ephebus*

Hoc in Achæmenio rure peregit opus.)

i. e. Daniel Propheta in Persia, cujus primus Rex, Hero-
doto & Platone testibus, Achæmenes fuit.

§. 723. *Quos nubs neq; vitia presserat antè nigra.)*

Ut *plebs* & *plebes* ita *nubs* & *nubes* analogia quadam usur-
pare voluit, & fortassis apud Plautum in Mercat. ita legitur:
nonne ex aduerso vides? nubs (vel nubis) imberq; instat.

§. 802. *Qui non ut iuras, sed ut is iurasse putabit,*

Cui iuras, audit, sicq; es utriq; reus.)

Isidorus

Isidorus de Sum. bon. lib. I. *Quaecumq; arte verborum
qbi juret, Deus tamen, qbi conscientia testis est, ita hoc accipit
sicut ille, cui juratur, intelligit.*

6. 898. *Hoc promissa magis tendere ad arva parat.)*

Sic equeidem malim, qvã ut antea editum fuit.

AD ACOBARDI IN CAROLUM M. defunctum Epigrãma.

Cum non sine fructu summo prodiissent tot, secula haec-
nus sepulta, nostrò hoc B Agobardi opera, Papirii Massonii
JC. studio, eum nihil vulgare, aut humile locutum videns
EUSTATHIUS SUARTIUS l. 3 Analectorum c. 14. carmi-
nis hujus ab illo è pag. 406. petiti medela aut explicatione
miscellanea sua augere studuit, primum distichon prodigio
quidem ita simile hoc pacto scribens.

Aurea seclorum post qvã de virgine proles

Sumserit apta sibi mundi pro crimine membra.

Quod Agobardum Virgilii versus sine dubio habuisse in
animo crederet Eclogã illa aureã petitos, qvã Pollio dicta.

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,

Et nova progenies cœlo demittitur alto

Ex quibus *70 cœlorum* etiã stabile manere posse, ipse non
abnuat, qvare ita scribendum assero:

Aurea cœlorum post qvã de virgine proles Sumserat a sibi.

6. 3. *Jam decimus qvartus post centies octo volabat.)*

Barth. lib. XII. c. 17. solet hoc genus in numerandi verbis es
corripere. Ut in Epitaphio Namatii sub Justino juniore,
Corippo & Fortunato æqvævi Viennensium Episcopi:

Septies hic denos & tres compleverat annos.

Sed alii duas ultimas syllabas in unam contractam censent,
centies, septies.

6. 5. & 6. Eustathius Schvartius trajiciendos putavit atq;
ita locum hunc depingendum:

— — — — — multivagi meruit quo fervida secli

Æqvora transire & placidum comprehendere portus

Ætherei Carolus, Francorum gloria gentis

Ut *placidum portus ætherei* Atticismo usitato sit ipse por-
tus ætheris placidissimus. Non nemo hinc transpositionem
quidem approbabat, sed post *placidum comprehendere por-*
tura

lum. Posito puncto legebat porro *Æther tū scil.*

gloria Nimis argutè, cum non cœlum ipsi gloria feratur, sed *Carolus* ipse *Francorum gloria gentis* dicatur.

v. 9. *Febru- migrabit quinto - arū ex Orbe calendas*)
Barthius l. XVI. c. 30. & lib. 35. c. 7. hujus census poëtis non inusitatas ait esse tmeses ejuscemodi, ut Herico l. 5.

Dicentes Medio - facti de nomine - Lanum.
Angelomo præfatione in comment. in RR.

Sis memor auctoris versus cum legeris istos,

Ange - Deus. Lomi, dic, miserere mei.

Abbo frequentius usus est: *ing, sulas, unq, gulas, atq, v. 475.*

Consiliog, fuga Burgun. adiere - diones.

Et Gulielmus Brito lib. XII.

Hac - satis est cecinisse - tenus bene gesta parentis.
potuisset alias æque facile dicere Agobardus:

Migrabit quinto Februarii ab Orbe calendas.

v. 11. *Flagito Quapropter*) ita Pap. Mass. sed lege rogito vel mecum trajice:

AD HENDECASTYLLABOS DE TRANSLATIONE CYPRIANI.

FED. MORELIO hoc carmen deberi fatebatur Simon Goulartius, qui una cum Cypriani operibus fol. 624. edidit quàm locupletissimè, cum à Papyrio Massono vix 43. versiculi, quot etiam C. Baronius Anno 806. § 31. exhibuit, prius vulgati essent. Quorum Editiones conferentes emaculatam hanc elicuimus, operæ pretium tamen putantes, & veterem scripturam variantem si locis suis proferamus. Et merentur sanè Hendecasyllabi isti, ut mendis suis liberentur, quibus scaterere viderat quoq; Goulartius, tamen per se frigidos esse judicasset, cum Eustathius Schvartius l. 3. c. 41. Anal. illos pro ævo eosatis poëticiū spirare asseverasset, & ejus amicus Dn. Barthius l. XIX. c. XI. carmen hoc alioquin haut infelix à facilitate suâ commendasset. ubi v. 1. qui antea sic legebatur:

Rectè magnificus piusq, princeps

Sceptrum nobile Francicum gerebat.

Primam voculam ita scripsit & commutavit in *Reclor*, quod
Re-

Regem notasset quoq; Sidonio :

Hinc te Martius ille Rector, atq;

Magno Patre prior, decus Getarum &c.

& sic ipsemet Agobardus lib. de insolentia Judæorum: *Deus, q̄bi hos ante tempora præcibit & præordinabit Rectorem Pium, futurum temporibus necessariis.* Maluimus quoq; cum eodem Dn. Barthio verbum illud gerebat tenere in sceptrigero imp. quàm alterum, quod alii præferebant, gerebat. Nam & ipse Agobardus in præc. Epigram. de eodem Carolo M. *Sceptra tenens regni, dixerat.*

Neq; belle convenissent illa, Rector sceptrum gerebat.

Et Subjectos populos pie gubernans,

v. 8. *Ingressu reduci salum petentes*

Intrant Libycos repente fines.)

Quia terræ sanctæ caput Hierusalem antè petierant, in reditu Carthaginem Africæ dominam appellentes.

v. 13. *Et Christi subeunt veneranda templa)*

Puer sexennis videat scribendum verenda, ait Barthius, sed tantum salis non habuerunt stupidissimi quondam librarii, neq; nunc solertiores Correctores, qui plerumq; officinis hodiè obolo conducti præsunt. *Qui & mox caput recisum in rescissum corruerunt.*

v. 15. *Servaret loculus neglectus ossa)*

Malè prius, quod nullo negotio restitutum est. *Apage infelicem vatem, ait Barthius, q̄bi tam crasse non infelices alioq̄bin versus corrumpat, veluti quoq;*

v. 32. *Committuntq; sacro corpus locello)* Barthio ergo legitur

Committuntq; sacro opus (vel onus) locello.

Locellus minutum vasculum cadaveri capiendo notat Adrevaldus de reliquiis Benedicti. His sicut diu aptaverat, inventis, patefacto à latere evacuatoq̄be locello thesaurum inventum unius sportellæ conclusit sinu. Confer hosce versiculos à 30. ad. 6. cum Tortarij illis in pari historiâ Mauriq; rebus:

Ipsius hi vectu rapiunt venerabile corpus,

Condit aromatibus pia concio nautica, membra

Ambit linteolis forti religamine strictis,

Condit Sarcophago quod quærens repperit apto.

v. 33. *SPERATI quoq; Martyris beati Nec non Pantaleonis)*

Sige.

Sigebertus in hæc verba paucis eam recensuit historiam:
Anno Dn. DCCCII. (Baronius legit DCCCVI.) Legati Im-
peratoris Caroli ab Aaron Ammiralib. venientes inter cetera mu-
nera, corpora etiam Cypriani Carthagenensis Episcopi & Mar-
tyris & Sperati primi Scillitanorum Martyrum & caput Panta-
leonis Martyris in Franciam offerunt.

§. 35. Tollunt cuncta simul ligantq; pannis)

Non ut olim, pennis. Quia linteolis tralaticijs, consutili-
bus & nulliq; pretii, quibus aliquid obligari potest, involve-
bant. Barth. l. 19. c. XI. & lib. 40. c. 13. è Petronio: *Statua-
rum ritu patiemur pannos & vincula.* V. Bacchiarius de reci-
piendis lapsis ex Hieremiæ historia *Demissis ad eum pannis
& funibus demersum in lacum liberavit.*

§. 41. Egressis Arelas opima, portu occurrit placido)

Arelas pro Arelate, veluti supra Theodulph. parænesi v. 119. &
120. Johānes de La Haye Canonicus Tornacensis, in ejus terri-
torii Ecclesiam Rothnacensem è Lugdunensi, ut antea in hanc
ex Arelatensi, translatas fuisse postea hæc reliquias scribit.

§. 49. Hæc mox cum audiit opt. Sacerdos Pa p. Massonus
(Sanctorum eximio calore flagrans.)

Et sic Baron. sed Morellius & Goulart. *Quod mox com-
perit opt. S. Solerti studij calore flagrans.*

§. 52. Intendensq; sacris ubiq; rebus) P. Massonus.

Alii intentusq;.

§. 58. Pro Lugduni ad plac. Jo. aram) malim cum Morellio.

Ac nunc ad p. J. aram & c. dormis.

§. 64. Clemens & validus Dei Patronus)

Cum nequaquam ullus Sanctorum Dei patrocini-
um suscipere valeat, ut qui nec eo unquam egeat; itaq; ut præce-
denti versiculo magis adaptetur, pro *fias legi, suasq; nobis*

Clemens & validus reis Patronus.

§. 70. Hanc Christus jugiter benign. audit.) L. Christ. jugiter h. b. a.

§. 72. pro Hæreses be præbas) reposuimus Hæreses be malas.

§. 74. Hanc & pro pop. & Patr. nostro) L. H. & pro pop. atq; pro p.

§. 79. Serba pontificem pius Agobardum) nos pie surrogavimus.

Meminerūt hujus translationis BEDA in Martyr. ad XVI.
Kal. Augusti & ADO Vienn. Chronico. ubi & Laïdraqi &
Agobardi fit mentio.

F I N I S.

Thev. cath. A
661

